1-6

John Carter Brown.

OCTAVIANI

FERRARII

HIERONYMI. F.

MEDIOLANENSIS

DE

Sermonibus Exotericis

LIBER,

AD

BARTHOLOMAEVM. CAPRAM

IOANNIS. FRANCISCI. F.

IVRISCONSVLTVM

VENETIIS. ∞ DLXXV

Apud Aldum.

INDICES
QVI. QVA. DE. RE
IN. HVIVS. LIBRI. PARTIB. SINGVLIS AGATVR
PAVCIS. VERBIS. EDVNT

Roposítio, & eius utilitas. pag. 1. 2.
Geneſij argumentatio prima. 2
P Eudemus Ariſtotelis Dialogus. 2. 39
Animae diuiſio bipartita, uera ne an falſa ſit, & eius auctor quis. 6
Geneſij argumentatio altera. 6
Libros ad Nicomachum, Ethicorum nomine in libris Politicis ſignificari ab Ariſtotele. 7
Geneſij argumentatio poſtrema. 10
Oratio ſiue ſermo ad philoſophiam idonea. 11
Antiquorum docendi conſuetudo. 12
Librum Ariſtotelis diuiſiones. 15. 16
De libris Exotericis e Strabone locus obſcurior. 18
Philoſophari πραγματικῶς quid ſit. 18. 19
Theſes λημυδίζειν, quid ualeat. 19
De Peripateticorum dicendi conſuetudine ad theſim. 21
Alexandri Aphrodiſienſis non uera opinio. 22
Antiquos etiam ex libris docuiſſe. 23
Peripatetici ueteres, dialectici, non philoſophi. 23
Eorundem & nomen & numerus. 24. 25

Luciani de libris Esotericis & Exotericis uerba. 26.27
Qui beatus est, idem etiam pulcher est, ex Aristotelis sententia. 27
Homini beato diuitias esse necessarias. 28
Diuitiarum modus. 28
Beatum esse intelligentem. 29
Beatus sapiens est, & moderatus. 29.30
Idem quoque σπουδαῖος est, & ad vitam aptus & conueniens. 30
Plutarchi locus de Exotericis. 31
De libris Esotericis simul & Exotericis quid Alexandrinus Clemens scripserit. 34
Dialecticarum quaestionum genera. 35
Alexandri Aphrodisiensis de libris Exotericis sententia. 36
De eadem re agi a philosopho & dialectico, uerum alia uia. 36.96
Philosophi & dialectici orationem distingui. 36
Hammonij Hermiae parentes. 36.37
Hammonius Saccas. 37
Quibus temporibus uterque uixerit. 36.37
Hammonius Hermiae filius libros Aristotelis quo modo diuidat. 37
Eiusdem de Exotericis uerba. 38
Exotericos libros esse dialogicos. 39
Corinthius, Aristotelis dialogus. 39
Philoponi de libris Exotericis uerba. 40
Simplicij de libris Exotericis, loci tres. 41.42
D. Thomas de sermonibus exotericis quid existimet. 42.43
Eustratij sententia de iisdem. 43

Exotericos

Exotericos libros propter Paediam nonnullis ſcriptos uideri. 44
Paedia uel eruditio, quid ſit ex Peripateticorum ſententia. 44
Paedia quid ſit, ex Ariſtotele. 45
Quot ſint paediae partes. 46
Qui paedia praediti ſunt, iis Acroamaticos ab Ariſtotele ſcriptos fuiſſe, non Exotericos. 46
Paedia qualis habitus ſit, quaeritur. 47
Sciētiis & artibus, quid Paedia praebeat utilitatis. 51
Alexandri Aphrodiſienſis opinio non probatur. 53
Paedia quid proſit Politicae auditori. 54
Conſueſcere, quid ſit. 55
Principia rerum agendarum, quae. 56
Eadem niſi a bono uiro cognoſci. 56. 57
Paedia praeditus ὁ πεπαιδευμένος ad Politica maxime idoneus. 57. 59
Vitioſus & male aſſuetus, a Politicis alienus. 57
Bartholomaei Caualcantis opinio, confutatur. 58. 59
Vitioſus diſtat ab incontinenti. 58
Vir bonus, qui. 59
Virtus, poteſt doceri. 59
Virum bonum quibus rebus effici ſentiat Ariſto. 59
Ex decimo ad Nicomachum particula exponitur. 60. 61. 62. 63
Virtutes naturales. 61
De Paedia animalium. 64
Paedia multiplex, ex Platone. 64
Paedia Animalium, unde nobis ingeneretur. 64. 65
Animal partium differentiis, in ſpecies diuiditur. 65
Paedia animalium ex conſuetudine oritur. 65
Partes exteriores animalium per ſenſum notae. 66

Falli eos, qui de animalibus ex auditu ſolum-modo ſcripſiſſe Ariſtotelem arbitrantur. 67
Partes animalium interiores ignotae, quomodo noteſcant. 68
Libri Anatomarum Ariſtotelis. 68. 69
Anatomas non primus Ariſtoteles conſcripſit, ut Theodoro Gazae aliisq. placuit. 69
Partium animalis differentiae quibus ſenſibus a nobis cognoſcantur. 70
Paediae animalis uſus duplex. 71
Animalium differentiae ſunt partes. 72
Vtrum animalia quia ſuis partibus ſpecie differunt, ob materiam ſpecie differant. 73
Exotericorum librorum genus cur ſit ab Acroamaticis diuerſum, cauſſam non eſſe imitationem. 78
Qui alienam agit perſonam an imitetur. 80
Dialogum imitatione, ueluti genere, non contineri. 83
Veterum ſcripta ſint ne an non ſint omnia ſimplices expoſitiones, an quaedam imitationes. 84
Platonis & Ariſtotelis diſſenſio. 85
Demonſtrationis & ſyllogiſmi dialectici diuerſa materies. 87
Demonſtratio fit ex iis quae ſunt eodem in genere. 89
Dialecticus ſyllogiſmus fit ex iis, quae non eodem genere continentur. 92. 93
De phyſicis alia atque alia haberi poteſt oratio. 95
De Exotericis, quae ſcripta ſint a ueteribus, cum Ariſtotelis ſententia conuenire. 95
Exotericos ſermones a multis facile intelligi. 95

In

In Exotericis tractari Physica & Ethica. 96
Exotericos sermones, de rebus non esse, sed uideri. 97
Exotericis rationibus agi de Ideis. 98
Exotericos sermones esse Dialogos. 98
Dialogos Dialectico maxime conuenire. 100
Dialogum habere possit ne qui docet & demonstrat. 100
In Dialogis ex sua persona locutum Aristotelem, contra quàm putarit Hammonius. 103
Eundem dialogos Platonis & Aristotelis consimiles fuisse falso tradidisse. 103
In Dialogis utrum oratione morata uti liceat. 104
Dialogus non est imitatio. 106
Encyclios libros, non fuisse Exotericos, ut Simplicius existimauit. 108
Encyclion multa significans dictio. 108.109
Encyclia philosophemata. 110
Encyclia problemata. 111
Operis conclusio. 112
Socratem numquam audiuit Aristoteles. 113.114

OCTAVIANI . FERRARII
DE. SERMONIB. EXOTERICIS
Liber,
AD. BARTHOLOMAEVM. CAPRAM.

EXOTERICOR. SERMONVM controuersiam, a praestantibus ingenio uiris haud ita pridem commotam, difficilem ad expediendum, implicatam natura, totam instituui, quoad facultas feret, explicare. Habet autem ea res duas omnino sentẽtias . si enim antiquos audimus, ij sunt genus quoddam librorum, ab acroamaticis separatum . sin doctos sequimur, qui hac hominum aetate florent, non ij sunt certum genus librorum, sed libri qualescumque, extra corpus illud, in quo testes citantur. Non est ita recens haec opinio, ut putandum sit, hodie primum eam exoriri. Genesius enim Sepulueda, homo in primis eruditus, cum interpretaretur libros Aristotelis De Republica, primus omnium, quod sciam, obsolescentem sententiam auctore celato renouauit. is enim a Diuo Thoma, Diuus porro Thomas ab alijs maioribus natu illam multo ante accepit. ignota uero fuisse Genesio nomina scriptorum, a quibus ut pro suis uteretur ista describebat, stultum est credere. itaque uerius reor, sublatis auctoribus eum rem palam facere satis habuisse. par erat autem qui M. Ciceronem, & Plutarchum, & posteriores etiam affirmaret errore omnes publico teneri, e grege errantium suos eximere, neque uideri damnasse illos falsi, a quibus ipse uerum didicisset. In quo subierit ne ingrati animi culpam, gloriae illecebris in fraudem deductus, nihil nunc quidem est, cur magnopere exquiram: cum praesertim non meum sit consilium, sicut in iudicio, aliena delicta accusatorie insectari. Liber hic autem, cum ad alia erit utilis, tum ad eam facultatem praeter cetera, quam Aristoteles proprie Dialecticam nuncupauit. nam & materiam, & usum illius ex

parte, quae duo nota uerbo, re ſunt ignota, ex uerbis ipſius quam maxime, ſecus ac noſtri conſueuerint, oſtendit. quibus autem uera tendunt labefacere, aduerſariorum primo argumenta; deinde, ueterum loci ſuper hac re debent inſpici: poſtremo Ariſtotelis explanata ſententia, opiniones aliorum una opera ad eam reuocari. Quod igitur in extremo de moribus ad Nicomachum primo legimus, IN Exotericis de anima dici quod ſatis ſit, ad id de ſuo addunt iſti, De anima in libris agi tribus, qui inter phyſicos numerantur. cum uero tres illi, ſint extra libros de moribus, exotericorum nomine aiunt oſtendi, quoſcumque libros, qui extra hunc ipſum fuerint, in quo ij teſtes aduocantur. qua ratiocinatione, neceſſario nihil confici, & falſa pro ueris ſumi planum eſt. primum enim agi de anima in libris tribus, tametſi uere dicatur, tamen in parte rei dicitur, & ob hoc nihil inferri poteſt neceſſario. etenim ut id concludatur de tota re dicendum uniuerſe, omne id quod de anima ſcripſerit, in libris tribus illis, nuſquam alibi ſcripſiſſe Ariſtotelem. oportere autem ita fieri, ſi modo ratiocinari uolent, ex Analyticis notū eſt. at hoc ſi faciant, pro ſumptione quae uera erat falſam ponent: quam rem paullo poſt uberi oratione approbabo. nunc autem, ne ſi conceſſerimus quidem, exotericos dici libros, qui foris ſunt, uideo cur non liber aliquis unus, & externus eſſe poſſit, & idem certo aliquo genere contineri. Si enim de anima libri tres exoterici, ſunt, ut putant; nihil medius fidius impedit, quo minus tres iſti de anima, quia externi ſunt, ijdemq. phyſici, phyſicorum in genere collocentur. Itaque cum libri certo in genere locati non ſint externi, ut aiunt, externus liber aliquis ut idem non ſit externus conſequi uidetur. Sed redeo ad illud cuius probationem diſtuli. De anima quidquid Ariſtoteles ſcripſerit, ſcripſiſſe tribus libris tantummodo, perſpicue falſum eſt. egit enim de eadem re alijs quoque uoluminibus, quemadmodum bonus auctor teſtatur Themiſtius. hic enim, cum doceret Platonis rationes, quaecumq. animorum immortalitatem ſtabiliunt, ad mentem animi referendas, ſimiliter atque firmiores ex ijs, inquit, quae ab ipſo ſunt Ariſtotele in Eudemo expolitae. ex quo loco plane patet, in Eudemo actum fuiſſe de anima ab Ariſtotele, cum quidem mens, de qua in eo, ſit anima: ſimul & illud elucet in Eudemo agitatam ſermonibus immortalita-

mortalitatem animorum. Cognoscitur etiam hoc idem ex uerbis Simplicij manifestius, in tertium de anima haec scribentis: quapropter in Eudemo dialogo, quem de anima conscripsit ipse, animum quandam esse formam declarat. in commentario etiam in primum De Anima scribit Simplicius idem ita: dicit etiam argumenta, in Eudemo dialogo a se conscripta, quibus animam esse harmoniam redarguit. porro ex argumentis illis duo Philoponus in commentario primi de anima recitat, quo loco, utitur, inquit, etiam Aristoteles ipse, ut iam dixi, in Eudemo dialogo duobus hisce argumentis. ex quibs omnibus satis constat, praeter libros tres de anima, qui nunc leguntur in gymnasijs soli, confeciisse Aristotelem Eudemum etiam dialogum, in quo de anima, quod et esset forma quaedam, quodque non esset harmonia disseruit. & quidem haec eadem omnia, in tribus de anima, tractari cernimus. animam enim esse harmoniam, in primo refellit: eandem esse formam, docet in secundo: utrum sit, an non sit immortalis, exquirit in tertio. ergo res easdem in alijs atque alijs operibus commentatur. De anima igitur, in libris agi tribus tantummodo, male coniecerunt. historiae nimirum ignoratio doctis ceteroqui hominibus errorem obiecit. qui quo magis magisq. patefiat, huc addentur quaedam, his, quae nunc scribimus, minime inutilia. Aristoteli familiaris Eudemus Cyprius fuit, ei, ut opinor, in Platonis ludo condiscipulus. hic & cogendis occulte militibus externis, Dioni Syracusio fidelem operam praebuit, & una cum eo, pellendi e regno Dionysij tyranni gratia, in Siciliam transmisit. in acie dimicans ad Syracusas occubuit. quo mortuo scriptus est eodem nomine dialogus ab Aristotele. nobis hoc Plutarchus narrat de Dione in eius uita cum ait: Isto Speusippi nuncio confirmatus, externum militem occulte per alios colligebat, ut sententiam suam celaret. copias autem multi, tum gerendae reipublicae periti, tum philosophi comparabant: ut Cyprius Eudemus, in quem mortuum de anima dialogum fecit Aristoteles. Exstat etiam apud M. Ciceronem in primo De Diuinatione locus, quem ex Eudemo Aristotelis conuersum non sine caussa licet suspicari. recitemus eum igitur ut uiri casum optimi notum ignaris faciamus. Quid singulari uir ingenio Aristoteles, & paene diuino, inquit, ipse ne errat, an alios

uult errare? cum scribit Eudemum Cyprium familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras uenisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno, crudeli dominatu tenebatur. in eo igitur opido ita grauiter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent. Ei uisum in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore ut breui conualesceret, paucisq. diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & cõualuisse Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum tyrãnum. Quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse. Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum reuertisse uideatur. atque haec quidem auctore Aristotele, scribit M. Cicero. Vbi operae pretium est, uidere quorsum referatur somnij huius interpretatio. hominis enim animus cum excedit e corpore, domum reuertitur, homo autem moritur. qua re fit, ut moti sit domum reuerti. melius autem esse domum reuerti opinantur uulgo, quam peregrinari. ex quo sequitur, ut mori quam uiuere sit homini optabilius. quamdiu enim uersatur animus in corporibus humanis, hoc est dum uiuimus uitam, longe is a domo peregrinatur. itaque non nasci etiam quam nasci multo melius est. quae omnia in eo dialogo, de quo paullo ante dixi, defendit Aristoteles, si quid est quod ipsius uerbis, quae dum consolatur Apollonium Plutarchus recitat, possimus credere. quae quoniam huc apte cadunt, adscribam libenter. Complures, inquit, uiri sapientes ut ait Crantor, non hoc tempore solum, sed antiquitus etiam humana defleuerunt, arbitrati uitã esse supplicium, & initio hominem natum esse, maximam calamitatem. hoc autem inquit Aristoteles captum etiam Silenum Midae regi demonstrasse praestat autem uerba ipsa Philosophi appponere. haec enim inquit in Eudemo, siue de anima, qui inscribitur. Quocirca optime omniũ ac beatissime, praeterquam quod mortuos more & instituto beatos ac felices existimamus, de ijs etiam mentiri aliquid & male loqui nefas ducimus, ut qui iam effecti scint meliores quam nos ipsi & praestantiores. atque

haec

haec apud nos solemnia, ita sunt uetera & antiqua, ut prorsus nemo sciat, nec initium temporis, nec qui primus legibus haec sanciuerit, sed ex infinito tẽpore ita positum est in moribus. ad haec cernis ne hominibus in ore, quod inde usque a priscis temporibus, uulgo circumfertur? quid hoc rei est? inquit. & ille, nempe ut, inquit, non nasci sit res omnium optima, mori autem quã uiuere praestabilius, multisque ita rem se habere a Deo demonstratum. atque hoc Midae illi ferunt, nimirum post uenationem, qua eum cepit, Silenum percunctanti & roganti quidnam hominibus esset melius, quidque omnium maxime expetendum, a primo nihil loqui uelle, sed conticescere mutum, ubi uero uix machinis omnibus adhibitis, ut cum eo aliquid loqueretur adductus est, coactũ eum ita dixisse: aerumnosae atque asperae fortunae semen uiuens diem unum, cur ea me cogitis enũciare, quae uobis nescire satius est. Sine dolore enim est uita maxime, quae cum ignoratione propriorum malorum coniungitur. natum autem esse nullo modo est hominibus omnium optimum, nec uero, participem esse naturae optimae. natum enim non esse, optimum est omnibus: post hoc uero, quod & primum ex omnibus alijs effici potest, uerum secundo loco, natos quamprimum emori. planum est igitur eum hoc pacto differuisse, quia moriendi potior sit quam uiuendi cõdicio. Ex his intelligitur facillime, de anima Aristotelem alibi etiam, non in libris tribus dumtaxat, locutum, aliter atque alij crediderunt. tum illud perspici licet, usurpasse illum ueterem fabulam in disputatione ac dialogo, de qua M. Cicero in Tusculana prima dicit: affertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse, proximum autem, quamprimum mori. postremo quae ad argumentãdum sumuntur, ea esse perspicue probabilia, indicant cum alia, tum adhibitae confirmationes praesertim, petitae a moribus, & institutis, & a longinquitate temporis. certe in libris de moribus, quae traduntur, ab his tota re dissentiunt. atque haec quidem hactenus. Quod uero ait Aristoteles, in exotericis dici de anima quod satis est, ad ea quae in tertio de anima scribuntur, nõ mihi uidetur commode referri. animi enim diuisio bipartita, ut eius pars altera sit rationis particeps, altera rationis expers,

multis

multis nominibus reprehenditur eo loco. maxime autem, quod partes animae non omnes complectitur. cur autem dicat animae diuisionem satis conuenire, quam non ei conuenire docuerit? mihi quidem non fit uerisimile, neque fert Aristotelis consuetudo, iudicium, doctrina, ut loquatur falsa, inepta, & inter se pugnantia. Animi diuisio illa, nostris hominibus uehementer probatur, ut Aristotelica. tamen ex magno morali primo, secus sentiendum est. Platoni enim attribuitur, qua est: Post autem Plato animum recte diuisit in partem quae rationem habet, & quae sine ratione est. factum est idem a M. Cicerone in quarta Tusculana, quo loco scriptum est: In his explicandis ueterem illam equidem Pythagorae primum, deinde Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes diuidunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. Itaque in tertio de anima cum eam redarguit Aristoteles, non ut suam, sed ut alienam redarguit. iure igitur in eodem magno Morali primo adumbrata, & ab Aphrodisiensi in libro De Anima, cum eius non infinitas docet esse facultates, communis diuisio nominatur. Quod uero scribit Aristoteles in tertio de republica, se principatus distinguere saepius in Exotericis, his uerbis freti, quin de moribus ad Nicomachum libri Exoterici sint, affirmare nihil uerentur, quoniam quidem in eorum octauo principatus in species uelut in membra dispertiuntur. in quo argumento falsa pro ueris dum sibi sumunt securo nimis animo, iterum peccant. neque enim uerum est, in octauo ad Nicomachum saepe diuidi principatus. communionis & societatis ciuilis tantum partes numerantur. in queis regnum est ac tyrannis, optimatum, & paucorum potestas. hae sunt communiones quaedam & societates: in omni autem communione & societate, ius est atque amicitia. itaque in omni societate ciuili, quae respublica dicitur, ius insit oportet atque amicitia. haec in eo libro, quae hic ego summatim, copiosius explicantur. de principatu uero prorsus silentium est. Sed hi rempublicam & principatum unam rem credentes, cum eo loco de republica disputet Aristoteles, ut, quales in quaque republica reperiantur amici, notum faciat, rem commenticiam afferunt, ciuilem societatem, hoc est rempublicam in species ea gratia illum diuidere, ut in partes distribuat principatum. qui tamē ipse secerni a republica,

blica, iis quibus describitur, facile potest. Sed congerere unum in locum omnia, minime necessarium duco. Dicendum potius illud, libros ad Nicomachum, in his qui sunt de republica, suo nomine ostendi, eo titulo scilicet, quo proprie inscribuntur. Nam in tertio de republica, unde libros ad Nicomachum esse exotericos confirmant, eorum quinctum paucis hoc modo indicat: καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τοῖς ἠθικοῖς. qui locus una cum illo quem infra supponam latine ostendit haec, Vt in Ethicis prius dictum est. ex quibus planum fit, Politicis libris priores Ethicos anteire. Libri autem ad Nicomachum, ex omnibus alijs Ethicis libris soli Politicos praegrediuntur. Hos enim solummodo Politicis libris ab eo & praeponi & coniũgi uidemus. nam & hoc ita firme probant extrema decimi ad Nicomachum, ut, si quis contra sentiat, quemadmodum ait Volcatius, nil sentiat. quare confici oportet, ut hic Politicorum locus, quem supra posui, & item is, quem statim subiiciam, libros ad Nicomachum demonstrent. sub initium enim secundi de republica, ubi dixit eo iure, quod est in mutua & pari perpessione, quam talionem uocant, conseruari ciuitates, adiecit ista, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον; quibus quinctum eundem ad Nicomachum sine dubio significauit. In illo namque ciuilem societatem, hoc est ciuium multitudinem, quae ciuitas dicitur, isto iure, quod in actione simul & perpessione mutua positum est, multis uerbis docet contineri. cuius rei est initium ibi, ubi sunt haec: ἐν μὲν ταῖς κοινωνίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς σωέχει τὸ τοιοῦτον δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς καθ' ἀναλογίαν, καὶ καθ' ἰσότητα. haec enim postrema sine negandi particula, Ephesius quem sequor, melius omnino quam ceteri, & legit & exponit. De hoc enim iuris genere, a Pythagoricis definito, ita scribit: ἂν μὴ ἁπλῶς ὡς οἱ πυθαγόρειοι φασὶ γίνηται, ἀλλὰ καθ' ἀναλογίαν καὶ τῇ τοιαύτης ἰσότητα, χρήσιμον ἔσται πρὸς τὰς κοινωνίας τὰς ἀλλακτικὰς, ἐν αἷς τὸ καὶ τὰς πόλεις σώζεσθαι καὶ συμμένειν δοκεῖ. Ius mutuae perpessionis, inquit, si non ita simpliciter, ut aiunt Pythagorici, fiat, sed proportione & ad huius aequalitatem, utile erit ad societates permutatrices, quibus etiam ciuitates seruantur, & consistunt. Cur autem huius interpretatio mihi probetur, caussae illud habeo; quod hoc Ius in rerum permutationibus uersatur maxime. quae res, etiam si dispari sint uirtute ac pretio, debent tamen inter se quodammodo aequari. quod nisi aequentur,

permu-

permutatio rerum fieri desinit. horum alterum ex eo manifestum est, quod de pretio rerum dispari, quae permutantur, scribit Aristoteles, οὐδὲν γάρ, inquit, κωλύει κρεῖττον εἶ τὸ θατέρου ἔργον, ἢ τὸ θατέρου. δεῖ οὖν ταῦτα ἰσασθῆναι. hoc est, nihil enim prohibet praestabilius esse opus unius, quam alterius. haec igitur oportet coaequari. alterum ex iis, quae paullo post dicit idem, intelligitur. οὔτε γὰρ ἂν, inquit, μὴ οὔσης ἀλλαγῆς κοινωνία ἦν. οὔτ' ἀλλαγὴ ἰσότητος μὴ οὔσης. quod est, neque enim si non sit permutatio, societas fuerit, neque permutatio si non sit aequalitas. Ius ergo mutuae perpessionis, cum in rebus sit, quae permutantur, quae res autem permutantur, ut aequalitatem habeāt oportet, Ius item mutuae perpessionis ut aequalitatem habeat, necessarium est. Quibus ego rationibus adductus, quamquam & libri, & interpretes alij dissentiant, in unius tamen Ephesij lectione, quam & Aristoteles comprobat, acquieui. Breuis autem haec digressio non est a re proposita ex toto aliena. seruari namque ciuitatem iure mutuae perpessionis aequali, quod e secundo de Republica recitatum est, prius explicatum in quincto ad Nicomachum fuisse, paullo facit planius. Totum autem illud, τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ὅπου τὸ νόμιμον. οὔτε ὅπου τὸ πολιτικόν· πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ κοινωνικόν. id est, Ius autem perpessionis mutuae, non congruit neque iuri legitimo, neque ciuili. dico autem ciuile, quod in communione uersatur, quod in graecis quibusdam exemplaribus legitur, in iis quae in Pandectas annotauit primo, latine quidem uertit Budaeus, uerum ut opinor solus uertit. nec enim uetustior interpres, ille sordidus ac rudis, nec post Arretinus, nec deinceps Argyropylus, alijue posteriores uerterunt. graeci quoque istuc ipsum praeterierunt silentio. nihil de eo Ephesius; nihil ne alius quidem, cuius uberem metaphrasim habeo in decem de moribus ad Nicomachum uolumina. est & quartus ad Eudemum de moribus liber prorsus idem cum quincto ad Nicomachum: in quo nihil horum uerborum inuenias. & uero sunt eiusmodi, ut ea antecedentibus partim, partim insequentibus aduersentur. Horum prius ita doceo. Iustitia mutuae perpessionis uirtus quaedam est. omnis autem uirtus iure legitimo continetur, ut in initio declaratum est. quam ob rem absurde negatur, genus hoc iuris legitimo iuri conuenire. posterius autem hoc modo. Iure isto

eodem

eodem quod in mutua perpessione situm est, constare, hoc est, seruari probat Aristoteles ciuitatem. & ciuitas omnis quaedam est societas. ita minus uere iterum hic scribitur, ius mutuae perpessionis non ad ius ciuile, quod est in societate, accommodari. eximia igitur homini doctrina Petro Victorio est habenda gratia, qui fretus antiquorum librorum ope mendum utiliter sustulit, & primus inquinatum foede locum ab omni macula purum fecit. Primus itē ad Nicomachum, septimi de republica uerbis ostēditur. quorum si quem sensum habeant spectes, nihil apertius. sin quā partem operis ad Nicomachū designent quaeras, nihil occultius. magni certe uiri quibus neq. studiū neq. sedulitas defuit, diu perscrutando librorum, ut ita dicam, recessus & latebras interiores, multam operam frustra, quod euentus docuit, consumpserunt. quam ob caussam agendum nobis est diligentius, ut abditam rem, sicunde possumus eruamus, atq. in oculis conspectuq. omnium, exponamus. In septimo de republica igitur, hoc modo scriptum est: χρήσαιτο δ' ἂν ὁ σπουδαῖος ἀνὴρ καὶ πενίᾳ καὶ νόσῳ καὶ ταῖς ἄλλαις τύχαις ταῖς φαύλαις καλῶς, ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ὄφι. καὶ γὰρ τοῦτο διώρισαι πρότερον τοὺς ἠθικοὺς λόγους. Efferamus latine eadem ista, & e uerbo uerbum quoad licet exprimamus. Possit autem uti bonus uir, inquit, & paupertate, & morbo, & aliis fortunae malis recte: uerum felicitas in contrariis sita est. hoc enim distincte explicatum est, in moralibus libris. Locus hic duo complectitur. primum, bonum uitum fortunae malis recte uti. alterum, beatam uitam esse in contrarijs, id est, in fortunae bonis & eorum usu recto. Ac bona & mala fortunae, alia parua, alia magna sunt. quae parua sunt, ea momentum ad uitam non habent. de rebus enim fortuitis, quae paruae sunt, in primo ad Nicomachum ita scriptum est: τὰ μὲν μικρὰ τῶν δ' τυχημάτων, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀντικειμένων, δῆλον ὡς οὐ ποιεῖ ῥοπὴν τῆς ζωῆς. De bonis uero ac malis fortunae, quae magna sint, & ut ijs utatur bonus uir idemq. uirtutibus expolitus, agitur eodem in loco separatim, & quidem de bonis prius, alio uidelicet ordine, quam in Politicis, ad hunc modum: τὰ δὲ μεγάλα καὶ πολλὰ γιγνόμενα μὲν δ', μακαριώτερον τὸν βίον ποιήσει. καὶ γὰρ αὐτὰ συμπεπλεκται πέφυκε, καὶ ἡ χρῆσις αὐτῶν καλὴ καὶ σπουδαία γίγνεται. quae item ut alia conuerti sic: magna uero & multa fortunae beneficia, beatiorem uitam effi-

cient. nam & condecorant ſuapte natura, & uſus eorum pulcher & bonus eſt. de bonis igitur haec. e contrario de fortunae malis magnitudinem habentibus ibidem ſunt illa: ἀνάπαλιν δὲ συμβαίνοντα, θλίβει καὶ λυμαίνεται τὸ μακάριον. Λύπας τε γὰρ ἐπιφέρει, καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις. ὅμως δὲ καὶ ἐν τούτοις διαλάμπει τὸ καλὸν, ἐπειδάν φέρῃ τις ἀβόλως πολλὰς καὶ μεγάλας ἀτυχίας μὴ δι' ἀναλγησίαν, ἀλλὰ ἡμιάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος. quod eſt, aduerſae res autem, premunt ac laedunt beatam uitam. nam & aegritudines afferunt, & impediunt multas actiones. uerumtamen etiam in his honeſtum pellucet, cum quis facile fert aduerſas res multas ac magnas, non quia doloris ſenſu careat, ſed quia generoſus ſit atq. magnanimus. Accedant huc praeter haec etiam illa de fortunae malis, & ut ea uir bonus forti animo toleret indidem aſſumpta, quae ſic habent: τὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸν καὶ ἔμφρονα, πάσας οἰόμεθα τὰς τύχας ἐὐσχημόνως φέρειν: hoc eſt, nam qui re uera bonus eſt & prudens, omnes eum putamus fortunae caſus honeſte ferre. Item ea, quae paullo ſupra hunc locum dicta ſunt ex Simonide, τὰς τύχας οἵσει κάλλιστα καὶ πάντη πάντως ἐμμελῶς, οὐ γ' ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετράγωνος ἄνδρ' ἄφογου, ita latine ſonantia, fortunae caſus feret pulcherrime, & omni ex parte concinne, uere uir bonus & ſine uituperatione quadratus. Bonis porro fortunae, tamquam inſtrumentis, beatam uitam indigere, nec tamen in eis praecipue poſitam eſſe beatitudinem, ſaepius in eadē eiuſdem libri parte iterat, quae ſibi quiſq. ſi libebit quaerat. nos ad ſeptimi de republica locum reuertamur. Ille uero, ut docui, duo oſtendit; alterum, fortunae malis recte uti bonum uirum; alterum, in contrarijs, id eſt, in uſu bonorum fortunae poſitam eſſe felicitatem. Horum autem utrumque cum primus ad Nicomachum liber, ut planum feci, exponat, ea re neceſſe eſt, ut ſeptimi de republica locus, primum de moribus ad Nicomachum nobis demonſtret. ex quibus ſatis liquet conſueuiſſe Ariſtotelem, in Politicis praeſertim, libros ad Nicomachum, per eum titulum, quo proprie inſcripti ſunt, nobis oſtendere. nec reddi cauſſa probabilis poteſt ulla, quamobrem exotericos dicat appellatione immutata, quos in eodem opere ſaepius, in illo autem ipſo de republica tertio ſemel atque iterum, Ethicos uocauerit. Quapropter alij locum ex tertio De Republica, in quo eſt de exotericis, ad primum De Republica, quod ibi principa-

tus

tus diuiditur, ſpectare prodiderunt. ex quo abſurde conſequi uideas, ut librorum de republica alij ſint, alij non ſint exoterici. adde quod in ſeptimo De Republica citatur primus his uerbis: διώρισαι δὲ πρὸς αὐτήν, (herum dicit ac ſeruum) ἱκανῶς ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις: ut illorum opinio, qui hunc pro exoterico habent, propterea multo etiam magis minui debeat. Refellatur etiam illud, quod poſitum in extremo, ex omnibus argumentis Sepuluedae, nobis reſtat unum. in primo igitur ad Eudemum libro De moribus, qua in parte de Idea boni quaeſitū eſt, de ea re haec leguntur: ὀπίσκεπται δὲ πολλοῖς πρὸς αὐτὴν [ἰδέαν] τρόποις, καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν. quae quidem ſine exornatione ulla, ut ueritatis ratio ferebat, ſimpliciter ita uerti: multis autem modis de Idea ipſa conſideratum eſt, tum in ſermonibus exotericis, tum in eis qui ſunt in philoſophia. Ex his porro uerbis argumentari uidebatur hoc pacto Geneſius: cum Idea conſideretur in ſermonibus exotericis, eadem etiam in ſermonibus qui ſunt in philoſophia conſideretur, confici oportet, ſermones eos qui ſunt in philoſophia eſſe exotericos. cum uero philoſophia ſit ſapientia, cuius libri μετὰ τὰ φυσικὰ inſcribuntur, ex eo item concludit libros de ſapientia, quibus μετὰ τὰ φυσικὰ titulus eſt, exotericos ab Ariſtotele appellari. Atque haec, niſi quid me fallit, non digna ſunt, quae homini ſi minus docto, at ei tribuas qui aetatem in philoſophiae ſtudijs omnem contriuerit. quo modo enim ſe habent, eiuſmodi profecto ſunt, ut ex eis neceſſaria conſecutione aliquid confici omnino nequeat. nihilo plus mehercule quam ſi tu, quia Simo eſt & calceolarius & bonus, eundem idcirco eſſe bonum calceolarium contendas, in quo genere, quia uitioſum eſt, Ariſtoteles docet, neceſſario quidem, prorſus nihil colligi. Quod autem ſermones ad philoſophiam idonei, qui graece λόγοι κατὰ φιλοσοφίαν dicuntur, ij ſint, qui libris τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ cōtinentur, id uſquequaque uerum non eſt. eſt enim ubi ſignificent interdum etiam libros de moribus decem ad Nicomachum. atque id locus ex tertio de Republica plane probat, in quo iſta ſcripta ſunt: δοκεῖ δὲ πᾶσιν ἴσον τι τὸ δίκαιον εἶναι. καὶ μέχρι γέ τινος ὁμολογοῦσι τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις, ἐν οἷς διώρισαι πρὸς τὴν ἠθικῶν. demōſtratur his haud dubie quintus ad Nicomachum. ius enim aequalitatem eſſe quandam, id quod in proximo ſuperiore loco u-

deri ait omnibus, priore parte uoluminis illius docemus. Est autem sermo philosophiae congruens, qui a nobis causſam reddentibus cur quidque sit, adhibetur. cum uero cur sit aliquid, & in physicis & in mathematicis, praetereaq. alijs etiam in artibus, nedum in sapientia exponatur, ijs omnibus orationem inesse philosopho congruentem consentaneum est. peripateticorum haec est uetus opinio, ut ex primo ad Eudemum cognoscimus, ubi cum alia tum in primis ista scribuntur: distant autem orationes in unaquaque facultate, quae philosophi more dicuntur, & quae non philosophi more. quapropter etiam de rebus ciuilibus non oportet existimare contemplationem eiusmodi esse superuacaneā, in qua non modo quid sit, uerum etiam cur sit, fiat manifestum. talis est enim in unaquaque facultate philosophi oratio. adiungamus praeterea locum ipsum, ut ex graecis uerbis tamquam adhibito lumine, obscura graeci uerbi notio magis illustretur. διαφέρουσι δ' οἱ λόγοι καὶ ἑκάστῳ μέθοδον οἵτε φιλοσόφως λεγόμενοι, καὶ μὴ φιλοσόφως. διόπερ καὶ πρὸς πολιτικῶν οὐ χρὴ νομίζειν περίεργον εἶ τῳ τοιαύτῳ θεωρίαν δι' ἧς οὐ μόνον τὸ τὶ φανερὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ τὶ. φιλόσοφον γὰρ τὸ τοιοῦτον περὶ ἑκάστῳ μέθοδον. Ex quibus ualde planum fit, philosophiae idoneam orationem, hoc est λόγον χρὴ φιλοσοφίαν non unius propriam esse sapientiae, quod Sepuluedae uidebatur, sed multarum communem esse disciplinarum, ut quidem ueteribus placuisse docui Peripateticis. Et haec erant fere, ad opinionem de exotericis, siue D. Thomae, siue aliorum, quae diceremus. De eadem re, quid senserint Graeci, quid Latini, scientia simul & orationis facultate ornatissimi, ut est initio a nobis propositum, proxime uideamus. Docendi consuetudo philosophis usitata plane alia nunc est, atque olim fuit, cum a doctissimis atque optimis uiris tradita est: qui sapientiam uel primi nobis ipsi per se inuenerunt, uel inchoatam ac rudem ab alijs relictam perfecerunt. Nostris enim temporibus susceptο munere publico praecipiendi, & patefacta scholae ianua, ac remoto aetatis omni discrimine, sublato etiam, quod minime oportuit, delectu bonorum animi, siue sit puer siue sit adolescens, siue usum aliquem habeat, siue nullum omnino, acutus hebesue, memor aut obliuiosus fuerit, dummodo nos audiat; ad rem nihil interest, aditu prohibetur nemo, nemo summouetur a foribus, quales quales

sunt

sunt admittuntur in ludum, cunctique congregantur in disciplinam confuse ac promiscue. At uero antiquitas omnium artium laudandarum parens, contra haec omnia. aetatis rationem habere, iuuenes a uiris, hoc est, rerum peritos a rerum imperitis secernere, instituit. qua quisque animi mente esset, obseruare, tardos reijcere, ingeniosos retinere, dociles uero quiq. memoria pollerent in primis probare; quibus inesset industriae indoles ac laborum tolerantia, eos ad philosophandum maxime idoneos censere, nec umquam temere quempiam in ludum recipere. Atque his artibus usum fuisse Pythagoram in erudiendis ad maximarum rerum scientiã discipulis, magna auctoritate multi prodiderunt. quibus omnibus & uetustate & auctoritate, &, si quaerimus, etiam sapientia, longe praestat ipsius Pythagorae auditor Lysis Tarentinus, Epaminondae doctor, uiri uirtutibus excellẽtis omnibus, omnique posteritatis memoria digniſſimi. ad Hipparchum enim, quem in condiscipulatu ualde dilexerat, scribẽs Lysis, duobus eum nominibus potissimum reprehendit; primũ quod cum multitudine philosophiam cõmunicarit; deinde, quod in publico etiam philosopharetur; quorum utrumque fieri uetuerat Pythagoras, & ne fieret summa cura prouiderat. addit postremo quae ijs de rebus scripsisset Pythagoras idẽ, illa filiae suae Damoni credidisse antequam moreretur, ea lege, ut, nisi qui familiaris atque intimus fuisset ipsi, prorsus nemini daret legenda. cuius imperijs optima fide seruiens Damo, nequaquam leui sententia mulier, occultarum rerum commentarios sibi relictos cũ posset impenso pretio uendere, mortui tamen parentis uoluntatem grandi pecunia egens femina cariorem aestimauit. quam quidem consuetudinem traditam per manus a Pythagoricis, qui manserant in patrijs institutis, accepit Plato, &, quoad suppeditauit uita, diligentissime retinuit. est praeclara eius ad Dionis propinquos epistola, in qua sit ne alienus aliquis an appositus ad philosophandum, docet quibus notis internosci possit, & ab altero alter distingui ac seligi. omnino autem ex omni omnium hominum numero perpaucos esse dignos statuit, quibus delitescens in tenebris rerum natura, ostendi prolata in lucem, & patefieri debeat. a scribendo autem de rebus eiusmodi, edendisque talibus scriptis, & abhorret ipse totus, & quam maxime potest,

ueluti

ueluti a scelere nefario, clara uoce sui similimum quemq. reuocare nititur. Noster item Aristoteles propter quem summatim haec attigi, aliquot post annos, amicis ac familiaribus dumtaxat, quo in numero perpaucos habuit, remotis alienis, tardis mentibus, & imperitis uidelicet, quid in quoque re ueri falsiue inuenisset ex instituto uetere magistri aperuit. quae scripserat etiam ijs de rebus, & contulerat in libros, neque peruulgauit ipse iustis de caussis, & maximam partem habuit in occulto dum uixit, tanta quidem cura, ut Theophrasto, ad quem hereditas librorum uenerat, mortuo, eorum nomina Peripateticis plane ignota, in maximo silentio perdiu iacuerint. utriusque libri igitur ex Asia Teij Apelliconis opera Athenas aduecti aliquando, & urbe capta inde simul omnes Romam Sullae iussu deportati, in eius bibliotheca fuerunt & dispositi & asseruati. Erat Romae temporibus illis Amisenus Tyrannio, grammaticus nobilis, bello captus a L. Lucullo, & manumissus a L. Muraena, quem designatum consulem M. Cicero postea defendit. cum is in illius, qui bibliothecae praeerat, amicitiam blanditiis & muneribns omnique obsequio insinuasset, per eum intromissus tractauit philosophorum quos dixi monumenta suo arbitratu, atque ex eis quaecumque uoluit, uoluit autem plurima, clam interuertit suaque effecit. quibus actis rebus, per idem tempus, uel certe non ita multo post, facta est Andronico Rhodio a Tyrannione describendi potestas. ex eo autem conciliatam inter utrumque amicitiam opinor, quod ambo graeci, docti ambo, egregie studiosus esset alter Aristotelis, alter uero philosophus etiam Peripateticus: ut ex similitudine studiorum credibile sit, beneuolentiae coniunctionem mutuam exstitisse. transcriptos igitur libros Andronicus ex iis qui philosophandi genus ab Aristotele inductũ adamarunt, princeps omnium in uulgus edidit. quorum indices & nomina, quod annos ducentos, aut etiam amplius, occulerentur abdita, ad eam diem inaudita, tum primum coeperunt nota fieri, & inter manus uersari eruditorum. quare tantũ laudis tulit, ut operum Aristotelis inuentor a ueteribus omnibus sine uarietate ulla existimaretur. itaque laudatus uir Seuerinus in Andronicum iure optimo oratione utitur honorifica, cum eum dicat; acutum diligentemq; Aristotelis librorum & iudicem & repertorem

repertorem iudicatum ab antiquitate. Sed idem opus etiam confecit quod πίνακα hoc est tabulam inscripserat: quem imitatus est Hesychius Milesius, ut Suidas refert. Fuit autem tabula commẽtarius, in quo sicut in historia tum philosophos tum libros ex ordine antiqui perscribere consueuerant. quod quidem ita esse philosophus docet Strabo his uerbis scribẽs: ἐκ τύρου ὁ ἀντίπατρος, καὶ μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος, ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῆς ἀπὸ ζήνωνος φιλοσόφων, καὶ τῆς βιβλίων. Huiusmodi ergo aliquid quin Andronicus scriptum reliquerit, Plutarcho simul & A. Gellio auctoribus, minime dubito. certe, cum epistolarum Aristotelis & Alexandri exẽpla tum de genere duplici disciplinarum, ac de matutinis discipulis & uespertinis, itemq. librorum in acroamaticos & exotericos distributione, quae memoriae leguntur prodita, inde deriuata in Atticas noctes confluxerunt. ac de epistolis, illinc ex Andronici libro assumi A. Gellius ipse praedicat: indidem etiam cetera, probabilis est opinio. qua probabiliorem hanc duco, quod cum, ut docui, Andronicus Tyrannioni fuerit intimus, Tyrannio autem M. Ciceroni, id quod ex epistolis ad Atticum notius est, quam ut probationis egeat, rationi ualde uidetur consentaneum, si crediderimus Andronicum, sin minus familiarem, notum quidem certe fuisse M. Tullio Ciceroni. ex quo Peripateticorum doctorum enumerationem, & uoluminum explicationem, neque nõ disciplinae totius formã in quinto de Finibus ornandi caussa positam, uel ex Andronico, uel ex Tyrannione, uel ex utroque cognouisse M. Tullium, qui fuit eius mos de philosophia scribendi, non absurde potest coniici. sed hoc tamen utram quisque in partem uult, per me accipiat. in praesentia mihi pauca antequam persequerer inceptum, breui narrare placuit, ut quo tempore exotericorum historia diuulgari coeperit, tum quos auctores habuerit, quantum unus possem, patefacerem. & simul admonerem eam oppugnantes, rem tantae uetustatis, tantis testibus confirmatam, neque satis commode infirmari, neque ex eorum animis, in quibus iam inueterauit, ratione alia eximi posse, nisi si proferatur historia, quae fide hanc & grauitate praeponderet. Sed haec quidem hactenus. Nunc sicuti res postulat ad institutum me conuerto. Distributos igitur fuisse libros Aristotelis in partes multas ab Andronico Peripatetico affirmanti Porphyrio

phyrio in Plotini uita non repugnanter assentior. Eius autem diuisio multiplex est in noctibus Atticis quantum suspicor; ubi tractatur tamen subobscure. ex quibus, quod huic loco ambae conueniant, una atque altera contenti erimus. Prima diuisio igitur est artium & commentationum, quas bipartito secat, ut earum aliae sint exotericae, aliae uero acroamaticae. collocat in exotericis Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ac rerum ciuilium notitiam. ab A. Gellio autem dicuntur argutiae, captiones, quas Aristoteles, συλλογισμοὺς ἀγωνιστικοὺς καὶ ἐριστικοὺς nominat. ita enim initio libri XVIII. sub Phauorini persona: Est quidem, inquit, argutiola haec, qua de congio uini usus es, exposita in libris: sed, ut scis, captio magis lepida, quam probum aut simile argumentum uideri debet. Quamobrem exotericis, tria putat contineri, Rhetoricam, Sophisticam, & ciuilem scientiam. quod si sophistica uel pars est Dialecticae, uel iuncta cum Dialectica, quae ex probabilibus ratiocinatur, ubi est Sophistica, ibi sit oportet una item Dialectica. artibus uero Acroamaticis cõprehendi statuit Philosophiam remotiorem & subtiliorem, item naturae contemplationes, ac disceptationes Dialecticas. Equidem tribus his rebar tria significari, ut nostro more loquar, Sapientiam primum, quae eadem est philosophia prima, deinde Physica, postremo Analytica. Secunda diuisio ad exemplum primae, libros item & artes bifariam dispertitur, quod alij sint exoterici, qui disciplinas exotericas, alij acroamatici, qui acroamaticas complectuntur. quae ubi quis dederit, sequi par est, ut ab rebus ipsis & argumentis librorum, non a persona ad quem mittuntur, libri Exoterici nomen ducant. Latissime autem patet haec diuisio, ut quae omnium sit maxime communis. siquidem Aristotelicam omnem rationem, ac libros, quibus ea traditur, continet uniuersos. a M. quoque Cicerone in quinto de finibus diuisionis huius mentionem factam uideo. quem locum ut inscis notum facerem, illinc assumptum, totidem uerbis infra subscripsi. est enim sic: De summo bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξοτέρικον appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere uidentur. Ostendunt haec uerba, DE SVMMO BONO, argumentum & subiectam materiem; quae uero subii-

cit,

cit, Duo genera librorum sunt, materiam eandem fuisse utrique generi librorum, nempe in exotericis pariter atq. ut in acroamaticis de summo bono tractari. quocirca ne rebus quidem, (sunt enim unius ambo argumenti) Exotericos ab Acroamaticis discernit, sed tractandi & scribendi uarietate, quod illa quam maxime declarant, VNVM populariter scriptum, alterum limatius. ergo pingui Minerua scripti erant Exoterici, & ad uulgi sensum atque intelligentiam accommodate. talis est autem oratio popularis: ita enim in II. De Finibus de Rhetorica forensi: Necesse est cum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem. item initio Paradoxorum cum inquit: Tentare uolui an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio; populari orationi eruditam contrarie opponit. Summi autem boni tractatio, ad ciuilem scientiam, quae graece πολιτικὴ dicitur, proprie pertinet. de quo quia in Exotericis actum est, de re ad ciuilem scientiam spectante in ijs fuisse disputatum apparet. unde fit ut angustior sit M. Tullij diuisio, & minus late patens, quam superior Andronici; quod illa Aristotelis omnia propemodum, haec ciuilia solum duas in partes distribuit. legisse etiam & diligenter cognouisse M. Ciceronem ista duo genera librorum multa indicant. nam & quale fuerit eorum argumentum explicat, & dicendi genus in eis dissimile agnoscit, & uarietatem sententiarum diiudicat; cum dicit, Non semper idem dicere uidentur. quia etiam eos imitari scribendo uoluit, legisse non contentus: ut scribens Attico memorat, cum dicit: In singulis libris se prooemijs uti, sicut Aristotelis in ijs, quos ἐξοτερικοὺς uocat. quod quidem de libris, qui extant hodie Aristotelis, intelligi nequit, propterea quod nusquam locorum in ijs leguntur eiusmodi prooemia, ut ad eorum similitudinem sua finxisse M. Cicero uere possit existimari. Sed imitandi Aristotelis studium, magis declarant quae de libris de finibus sunt ad eundem alibi: Quae autem inquit, his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent, in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. ex quibus loci sensus ostenditur in epistola ad Q. Fratrem, ubi est, Aristotelem, quae de republica & praestante uiro scribat, ipsum loqui. ipsum accipe, non solum, ueluti in Politicis octo, in quibus de praestante uiro nihil admodum loquitur, sed cum alijs pluribus colloquen-

tem in ſermone ac dialogo, qui periit, principem ipſum loqui. per litteras enim de libris agit cum Quinto fratre, quos ad Ariſtotelis imitationem in dialogo de republica tum ſcribebat. Quapropter, ut concludam aliquando, ſi Exoterici ſunt, quemadmodum graecis placet, Dialogi ab Ariſtotele conſcripti, cũ eos M. Cicero non ſolum legerit, uerum etiam ſcriptis ipſe ſuis imitando expreſſerit, quominus Exotericos Ariſtotelis & in manibus habuerit, & ſaepius lectitarit M. Cicero, ſanae mentis nemo dubitauerit. Nominat Exotericos etiam Strabo philoſophus cum in Ariſtotelis diſciplina ualde doctus, tum in omni hiſtoria diligẽs ita, ut ei non habere fidem in re tali paene ſit nefas. placet autem eius recitare uerba, quod utilia cognitu uideantur, atque etiam interpretari, nedum uertere, quod eorum ſententia obſcurior negotij nonnihil eruditis uiris noſtra ſimul & patrum memoria exhibuit. Politianus enim in Miſcellaneis totum hũc locum uertit ille quidem: uerum in eo aliud mutauit ſuo arbitratu, aliud reliquit intactũ, quid opinaretur ipſe nobis expoſuit, quid ſentiret Strabo negligentis aut inuidi hominis functus munere, uel praetermiſit uel occultauit. Poſt autem longo interuallo, Petrus Victorius, multis quam ille rebus melior, locum eandẽ tamquam in publico iterum propoſuit. in quem praeterea ex commentario Aphrodiſienſis Alexandri, ad orationis obſcuritatem illuminandam non abſurde idem pluribus diſſeruit. Sed ut homo uerus & in docendo ſimplex admodum, qui ementiri quidquam uitioſum putat, ſeſe quod optarit, potuiſſe conſequi, ut loci ſenſum omnẽ plane declararet, prorſus negat, & uero etiam aperte edicit. quae res nobis quamquam & ingenio & doctrina imparibus, curam iniecit minime mediocrem, experiundi, poſſetne de eadem re dici aliquid, quod noſtra oratione patefactum, tibi qui libros Ariſtotelis ſtudioſe legis, & dictum commode & nouum etiam eſſe uideretur. eſt igitur apud Strabonem in tertiodecimo de Geographia libro, his ipſis uerbis ſcriptum. σωέβη δ' τοῖς ἐκ τῆς περιπάτου, τοῖς μὲν πάλαι, τοῖς μετὰ θεόφραστον, ὅλως οὐκ ἔσχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων, καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις λέγειν. quo in loco de peripateticis antiquis uerba fieri perſpicue apparet: de quibus tria minimum dici cernimus: primum; quod libris omnino, paucis exceptis

ceptis maximeq. exotericis catuerunt; alterum nihil eos potuisse philosophari πραγματικῶς: postremum, theses eosdem λιπυθίζειν: quorum quidem omnium, quae extrema sunt, ea praeposterе lubet prius interpretari. Quod ergo ait, πραγματικῶς non id eandē uim semper habet. primum enim idem quod strenue, aut perite ac scienter uelet. ut in quinto apud Polybium de Rhodiis aedificia urbis reficiētibus magno terrae motu disturbata: ἐχειρίζον, inquit, νουνεχῶς ϗ πραγματικῶς, τὸ γεγονὸς: id est, prudenter ac strenue rem administrabant: & apud Diodorum libro Bibliothecae tertiodecimo, nauale proelium narrantem ad Abydi litus commissum inter Athenienses & Lacedaemonios: οἱ κυβερνῆται πρὸς αὐτῷ τοῦ καιροῦ ῥοπῇ ἐπέστρεφον τὰς νᾶς πραγματικῶς, gubernatores, inquit, in tempore ipso naues obuertebant strenue, perite, scienter. & in sextodecimo de Mentore qui quod Hermiam eunuchum eiusq. oppida per dolum cepisset, apud Regem Persarum magnam tulit uirtutis opinionem: δόξας δικαίως στρατηγεῖν πραγματικῶς: hoc est, quia scienter & perite imperatorum uti consiliis uideretur. Alexandrinus etiam Clemens in initio secundi Stromatis ita ut duo superiores uocem hanc usurpauit, cum dicat, οἱ πραγματικῶς τὰ πρὶ ἀρχαίων φιλοσοφήσαντες. & M. Cicero scribens ad Q. fratrem, eodem pacto: Tu in hac eadem breui epistola πραγματικῶς ualde scripsisti. Haec ergo est uerbi huius prima significatio. sequitur altera. pro eo namque est fere, quod latini dicimus, reipsa, & ut de graecis loquar graece planius, οὐσιωδῶς. testis est Ammonius Hermiae filius in commentario in Categorias dum haec scribit: τί ὃ αὖ πρὶ βούλεται, τὸ, ὡς καθ' ὑποκειμένου, ἢ ἀντὶ τοῦ, οὐσιωδῶς ϗ πραγματικῶς. & idem non ita multo post, τοῦ ἀγαμέμνονος, πραγματικῶς κατηγορεῖται, καὶ ὡς καθ' ὑποκειμένου, ὁ ἄνθρωπος. Eustratus quoque, secundi posteriorum Analyticorum libri interpres, πραγματικῶς perinde accipit, quasi dicat id quod in re est. eiq. contrarie opponit λογικῶς ϗ κατ' ἔννοιαν, ut aliud sit quod in re positum est, ab eo quod cogitatione pingi aut fingi solet. eius autem ex commentario quem dixi haec sunt uerba. πραγματικῶς ἐκ τοῦ γένους ϗ ἐκ τῆς διαφορῶν τὰ εἴδη συνίσταται ὡς τὰ καθέκαστα ἐκ τοῦ εἴδους ϗ τῆς ὕλης. λογικῶς δ' αὖθις ϗ κατ' ἔννοιαν τὸ γε εἶδος ἐκ τῶν καθέκαστα, καὶ τὸ γένος ἐκ τῶν εἰδῶν. Quas ob res quod Strabo ait φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, id nos in latinum sic uertemus,

ut sit, perite philosophari, uel etiam, re ipsa philosophari. Quod uero sequitur adiectum in extremo, θέσεις ληκυθίζειν, sententiam habet huiusmodi, ut sit, proposita declamare, siue ut M. Fabio placet, theses dicere. est enim ληκυθίζειν μεῖζον βοᾶν ἢ φοφεῖν, clamare & sonum edere clarius, auctore Aristophanis interprete, quem Suidas ex toto probat: nisi quod in eius libro exempta & quincta uerbi littera ληκυΐζειν mēdose legitur. nam ληκυθίζειν scribi oportere, satis probat ληκυθίσπις, quod a uerbo nomen declinatum ponit Hesychius. qui partem mediam inter ceruices & iugula, per quam editur uox, hoc est gutturem, λήκυθον dici tradit. & eius quidem chartilago tertia (multas enim habet) ἀρυταινοειδὴς uocatur a medicis, quod uasculi, quo quid liquoris hauritur, simillima sit. Θέσις uero, prout res nostra postulat, duplex est: una quam sic definiuit Aristoteles: θέσις ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς περὶ φιλοσοφίαν: propositum, inquit, est nobilis alicuius philosophi contra opinionem aliorum existimatio, ueluti, non posse contra quemquam dici, ut Antistheni, aut moueri omnia ut Heraclito, uidebatur. altera est, de qua idem scribit hoc modo: σχεδὸν ὃ νῦν πάντα τὰ τῆς προβλήματα, θέσεις καλοῦνται. quod est, omnes paene quaestiones dialecticae, hoc tēpore proposita uocantur. ex quibus locum Strabonis hoc maxime modo uerti posse arbitrabamur. contigit autem Peripateticis antiquis post Theophrastum, cum omnino libros non haberent, praeter pauculos maximeq. Exotericos, nihil ut possent re ipsa philosophari, sed proposita declamarent. & Strabonis quidem uerba talia sunt. quorum extrema duo, PROPOSITA DECLAMARE, quia propositum, ut docui, duplex est, nos item dupliciter exponemus. hoc enim ostendi a Strabone opinamur, Peripateticos ueteres illos Theophrasti posteros, ad propositas quaestiones, quae opinioni repugnarent aliorum, solitos declamare. id quod Hieronymum Rhodium nobilem peripateticum, qui mortuo Theophrasto floruit, fecisse ex M. Cicerone cognouimus. is enim summum bonum exposuit nihil dolere. quae quidem sententia, thesis est, siue mauis propositum. est enim contra aliorum opinionem nobilis philosophi existimatio. nam ex aliorum opinione, ut uulgi, bonum summum est, uel in diuitiis, uel in dominatu multarum gentium, uel in secunda fortuna, uel in

cor-

corporis uoluptate. ex eorum uero ſententia, quorum perelegans eſt iudicium maximeq. expolitum, ſummū bonum in honore ſitum eſt, aut etiam in uirtute, aut certe in rerum contemplatione. probauerunt haec alij: a quorum omnium opinione Hieronymus tamen diſcrepauit, qui ſummum bonum, atque hominis beatitudinem eſſe putarit indolentiam. Tali ergo quaeſtione propoſita, ſolitum ad eam decla mare, cum illum oſtendit Strabo, tum alios praeterea ueteres Peripateticos. licet tamē uerba haec ipſa etiam commodius ueluti lentam materiem alio flectere. quorſum igitur? an eo detorquenda ſunt, ubi nobis indicent, conſueuiſſe Peripateticos, qui Theophraſtum inſecuti ſunt, poſita theſi, hoc eſt dialectica quaeſtione, quam eandem infinitam uocant rhetores, utramque in partem probabiliter ad eam declamare. iſtam enim conſuetudinem primus introduxit Ariſtoteles, exceperunt introductam eius poſteri. Ne quid autē commenticium uideri poſſit, in horum ſingula demus graue aliquod teſtimonium. De theſi ergo & more dicendi ad theſim in Oratore ſuo ad Brutum ita loquitur M. Cicero. Quaeſtio a propriis perſonis & temporibus, ad uniuerſi generis orationem traducta, appellatur theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utramque partem ut ornatius & uberius dici poſſit, exercuit: idemque locos, ſic enim appellat, quaſi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio. Et Diogenes Laërtius eadem iſta, quamquam aliquanto breuius, in Ariſtotelis uita complecti uidetur, cum inquit: πρὸς θέσιν συνεγύμναζε τοὺς μαθητὰς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπατκῶν. quae ſic uertas, ad propoſitam quaeſtionem diſcipulos una exercuit, & ſimul ad rhetorice dicendum aſſuefecit. Inſtituti uero huius tam praeclari auctorem fuiſſe Ariſtotelem, idem M. Cicero in quinto de Finibus his uerbis docet. Ab Ariſtotele PRINCIPE de ſingulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio eſt inſtituta. & in ſecunda Tuſculana non ſolum principem dicit eum extitiſſe, ſed addit etiam inſtitutum idem retinuiſſe poſteriores Peripateticos. Mihi ſemper Peripateticorum Academiaeq. conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi non ob eam cauſſam ſolum placuit, quod aliter non poſſet quid in quaque

que re uerisimile esset, inueniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio, qua princeps est usus Aristoteles, DEINDE eum qui secuti sunt. quo e fonte illa Quinctilianus deriuauit: peripatetici studio quoque se quodam oratorio iactant: nam theses dicere exercitationis gratia fere, ab iis est institutum. Atque haec quidem exercitatio ea est, ad quam Aristotelis Topici libri sunt utiles. traduntur enim praecepta, quibus se exercentem seruire oporteat, in eorum postremo maxime. ibi enim docet primo quemadmodum capienda sit exercitatio, ad haec quae quibus conueniat, alia enim usu peritis tribuenda est, alia rerum imperitis. tum praeterea quibuscum habere sermonem, & item cõtra, non habere, deceat. Dicuntur uero multa etiam de fructu, quem reddit exercitatio. in quo illud permagnum est, Dialecticam facultatem praecipue caussam esse, propter quam exerceri nos uelit. sunt enim haec illius uerba: τὸ δ' γυμνάζεσθαι δυνάμεως χάριν. quae quia planissime scripta sunt, eo fit, ut Alexandrum Aphrodisiensem mirer, qui a doctore suo dissentiens, cui praeter ceteros plurimum studet, ad inuentionem ueri tantummodo, uel certe imprimis exercitationem istam trahere maluerit. quem iam, ut quod sentio dicam libere, non solum in isto, uerum ne in eo quidem probare possum, quod fuisse memorat ueteribus philosophis, quia nondum etiam extabant libri, exercitationem usitatam. Quaero etenim utros tandem ueteres intelligat: illos ne qui supra aetatem Aristotelis & Platonis uixerunt, an eos qui Theophrastum subsecuti Lyciũ tenuerunt. si det enim posteriores, absurde respondeat. qui enim uere dici potest, istis libros fuisse nullos? cum Aristotelis & Theophrasti aliquot haberent uolumina. haberent etiam Platonis, Xenophontis, aliorumque socraticorum. haberent & antiquorum, ut Empedoclis, Anaxagorae, Heracliti, Democriti, Parmenidis, ac Melissi, ut de ceteris omittam dicere. Sin superiores ac priscos philosophos designet, rẽ suam ex mala deteriorem fecerit. Sit enim, sicut est, exercitatio in contrarias partes argumentatio ex probabilibus. talis certe argumentatio facultatis est dialecticae. quare cum exercitationem usitatam dicat ueteribus, iisdem quoque ueteribus concedat oportet, usitatam fuisse facultatẽ Dialecticam. at extremum hoc non semel neque uno in loco negari scimus ab

Ari-

Aristotele. apud quem in primo de sapientia libro Pythagoreos ostendentem ita scriptum uideas : οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον: nam superiores, inquit, dialecticae non erant participes : & in eiusdem operis libro, qui est ultimo proximus, de Socrate quaerente semper definitionem, ut ea uteretur pro initio ratiocinandi, idem aliis uerbis ostendit, sed ita : διαλεκτικὴ γὰρ ἰσχὺς οὔπω τότ' ἦν· ὥστε δυνάμει καὶ χωρὶς. τί δὴ τὰ ἐναντία ὁπισκοπεῖν. hoc est, dialecticum robur nondum etiam tunc erat, ut possent contraria sine definitione considerati. & in extrema quasi pagina elenchorum, de eadem re longe manifestius : ἰδιώτης δὲ τῆς πραγματείας, inquit, οὐ τὸ μὲν ἴδῃ, τὸ δ' οὐκ ἴδῃ προεξειργασμένον. ἀλλ' οὐδὲν παντελῶς ὑπῆρχε. quod est, huius autem negotij, quod suscepimus, non aliqua pars erat, aliqua non erat perfecta prius, sed nihil omnino extabat. quae omnia de Topicis ac Dialectica facultate dici, si modo librum inspexerit, interprete nihil adiuuante per se tamen quisque penitus intelliget. Quanto igitur nostra, quam Alexandri, sententia procedit commodius? quam sine offensione ulla? ita quidem res est. Quapropter ut aliquando concludam, paucis eandem iterabo: Via quae Topicis libris traditur, exercitationi prodest : exercitatio autem Dialecticae facultatis parandae gratia, Aristotele auctore capienda est. ratio ergo & uia, quae Topicis libris demonstratur, quaerendae facultatis dialecticae caussa iniri debet. Perspicue falsum est illud similiter, quod negat Alexander ex libris antiquos docuisse. redarguit eũ grauis auctor Xenophon, qui Socratem refert euoluere solitum libros antiquorum, in quibus illi thesauros litteris consignatos posteris reliquissent, eosque in congressu amicorum explicare. ne quis autem me meae caussae inseruientem quidquam commentum putet, eius ex primo de dictis Socratis audiat uerba, quae sic habẽt : καὶ τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες, ἀνελίττων, κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις διέρχομαι. Existimare etiam non dubia ducti coniectura possumus, peripateticos ueteres illos, qui mortuo Theophrasto ludum in Lycio habuerunt, cum se se per omne uitae spatium ad theses exercuerint, ex qua exercitatione oritur Dialectica, dialecticos potius quam philosophos nominandos fuisse. est enim Dialectica, id quod in tertio de sapientia legimus, παρασκευὴ μὲν οὖν ἡ φιλοσοφία γνωστική,

γνωστικὴ, hoc est, quae tentet res cognoscere, quas philosophia cognoscit. dixeris Dialecticam uelle aliquid; Philosophiam id quod uult etiam consequi: & illam conatum habere, hanc uero perficiendi facultatẽ. cũ igitur Dialectica res cognoscere solũ conetur, qui aũt solũ conatur cognoscere, necdum etiã cognoscit, profecto res minime cognoscet Dialecticus. quamobrem uere negat Strabo ueteres Peripateticos potuisse philosophari πραγματικῶς, id est, re ipsa, sic scilicet ut rerũ uim ac naturã nossent penitus, eãque perite ac scienter interpretarentur. Quod quidem ab eo ficte ac falso prodi concedant nobis necesse est, qui tendunt ut uincant libros etiam ab Aristotele ad ueritatem conscriptos limatius, Exotericorum nomine contineri. Quod si Dialecticus & Rhethor inter se mutant, utaiunt, ita ut Dialecticus Rhetorem, & Rhetor uicissim Dialecticum induat, de his ipsis ueteribus Peripateticis minime nobis dubitandum, quin iidem Dialectice simul & Rhetorice loqui utramque in partem potuerint. nec ualde mirum debet hoc uideri: libros enim exotericos propemodũ solos habuerunt; qui cum scripti essent, ut posterius planum faciam, dialectico more; illorum lectio cum libris peperit philosophos congruentes. Quo in numero qui quotue fuerint, sciri a paucis hoc tempore arbitror. equidem in uita quadam Aristotelis antiquitus conscripta, cuius caput Suidas quoque retulit, decem inueni ludo peripatetico magistros. quorum ego, proinde ut alij succesſit alius, ita perscribam ordine nomina, quo euanescens ac paene intermortua illustrium uirorum memoria, ab obliuione atque interitu per me uindicata reuiuiscat. Princeps igitur est illorum omnium, qui publice post Theophrastum Peripatetica docuerunt, Strato Lampsacenus: qui quoniam praeter ceteros in ratione physica studij plurimum posuit, ob excellentem eius doctrinae praestantiam, physici cognomen inuenit. & certe Simplicius in commentario ad sextum librum, quem De motu scripsit Aristoteles, in optimorum Peripatericorum numero Stratonem semper habitum fuisse commemorat. Hunc Praxiteles consecutus est: cui Theophrastus in testamento exemplar Nicomachi relictum scribit, ut ad eius similitudinem statuã illi suo sumptu faciendam curet. Functus est eodem munere eodem in gymnasio post superiores proximos Lyco, & idem praeposita

ueteri

ueteri nomini littera Glyco dictus ab eloquendi dulcedine. Hic immutato etiam magis nomine in quinto de Finibus Lysias perperam appellatur. Fuerit'ne illud erratum librarij, an uacillantis in M. Tullio memoriae incertum est. Verum is quanto in honore fuerit uiuens, ex eo quod Themistius narrat in philosopho scire licet. nauigans enim Lyco in classem hostium armatam casu incidit. ij statim ut Lyconis nomen audiuerunt, cũ possent nullo negotio nauem, qua tum ille uehebatur, cum hominibus capere, praeter opinionem omnium tamen abstinuerunt ab ea tamquam a sacris manus. Lycone igitur ludum tenente, auditor eius Aristo Cous, ex crurum uitio claudicans, Lycio praeficitur. quem cum sibi praepositum uideret Lyco, tantum abfuit ut id factum doleret, ut uerum esse illud etiam, quod uulgo dici solet, recte ingredientem a claudo praecurri, per iocum laetãti animo palam fateretur. praeclara uero uox, maximeque digna Peripatetici modestia. quid enim minus conuenit, uel dicam magis peruerse fieri potest, quam obtrectare uirtuti uirtutis magistrum? aut bono uiro bonum inuidere? horum sicut aetati, ita muneri etiam duo successerunt, Lyciscus & Praxiphanes: de quorum altero, praeter nomen, quod dicam nihil equidem habeo. Praxiphanem Rhodium fuisse opinor; ob eam rem, quod eum Strabo, ut qui Andronicum aetate praecesserit, cum Eudemo & Hieronymo Rhodiis coniungit. Hieronymus autem notior est, quam superiores, cum ex Latinis, tum multo etiam magis ex Graecis, qui extant, auctoribus. doctum hominẽ & suauem in dicendo fuisse M. Cicero memoriae prodidit: quem tamen uere peripateticum dici posse negat, quia exposuerit summum bonum esse non dolere. Prytanis deinceps numeratur, & secundum hunc Phormio proxime, is, quem de officio imperatoris cum audisset aliquot horas Poenus Hannibal differentem, de eo quidnam sentiret rogatus ab amicis, delirum sibi senem illum dixit uideri. militis inhumani dictum: in cuius tamen sententiam iuit M. Cicero, non iuit multis annis post Plutarchus eo uolumine, in quo id agit unum, ut ad Imperatorem a philosopho uerba in primis fieri oportere nobis persuadeat. Est etiam Critolaus; una cum Academico Carneade & Stoico Diogene ab Athenienſibus Romam ad S. P. Q. R. legatus: P. Cornelio Sci-

pione Nasica, M. Claudio Marcello Cos. anno post urbem conditam quingentesimo nonagesimo nono. & hi quidem Peripatetici doctores in Aristotelis uita, quam initio dixi, hoc eodem ordine eduntur. quibus M. Cicero & Alexandrinus Clemens auditorem Critolai Diodorum aggregant. quae si uera sunt, non uere Ammonius Hermiae filius, undecimum ab Aristotele Andronicum Rhodium numerauit. Desciuisse autem hos omnes ab Aristotelis & Theophrasti disciplina, cum ex Strabone, sicut antea feci, tum ex alijs notum facere possum multo planius. istos enim, quos commemoraui, sic a maioribus suis degenerasse M. Cicero testificatur, ut ipsi ex se nati esse uideantur. Plutarchus quoque a Strabone philosopho, cur ita acciderit, caussae hoc affert, quod, qui secuti sunt Aristotelem & Theophrastum Peripatetici, ij & librorum usu, qui in occulto laterent, & rerum cognitione, quae non aliunde peti nisi ab libris posset, prohiberentur. Quapropter est quod iure optimo laetemur, exanimoq. gaudeamus, quandoquidem quibus libris illi caruerunt, summo erga nos beneficio Deus, unde bona sunt omnia, magnā partem incolumes eos in haec usque saecula reseruauit. Dupliciter etiam Lucianus, similiter ut alij, inducta Mercurij persona uitas diuendentis, Peripatetica diuidit, in quarum auctione qualis quaeque sit demonstrat, uirtutes narrat, scientiam praedicat, pretium indicat emptori, & quasi praeconium faciat, cum cura id agit, ut quamplurimo singulae ueneant. Citat autem Peripateticum e grege uenalium, & hoc pacto ludens producit. Ἑρμῆς. τὸν περιπατητικόν σε φημὶ, τὸν καλὸν, τὸν πλούσιον. ἄγε δή, ὠνήσασθε τὸν σωφρονέστατον, τὸν πάντα ὅλως ἐπισάμενον. Ἀγοράζων. ποῖός τίς ἐστι; Ἑρμῆς. μέτριος, ἐπιεικής, ἁρμόδιος τῷ βίῳ. τὸ δὲ μέγιστον, διπλοῦς. Ἀγοράζων. πῶς λέγεις; ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοθεν φαινόμενος, ἄλλος δ' ὁ ἔντοθεν εἶναι δοκεῖ; Ἑρμῆς. ὥστε εἰ περὶ αὐτοῦ, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικὸν, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν. quae possunt ita latine uerti. Mercurius. Peripateticum inquam te uoco, qui pulcher es, qui diues. agite igitur, emite hunc maxime intelligentem, omnia qui scit uniuersse. Emptor. Qualis tandem est? Merc. Moderatus, aequus, ad uitam aptus & conueniens. quod autem multo maximum est, Duplex. Emp. Quid ais? alius ne est qui foris apparet, alius qui intus uidetur? Merc. Ergo, si emes, Esotericum alterum, alterum

rum Exotericum appellare memineris. Iocari quidem Lucianum isto loco, & salibus ac facetiis ad hilaritatem & risum more suo uti cernimus. si quae tamen dicit, omnia haec ad Aristotelis praecepta reuocentur, cumque scriptis illius conferantur diligenter, eadem loqui Lucianum, eadem sentire Aristotelem, paruo negotio quiuis unus deprehendet. nam quod ait Lucianus pulchrũ esse peripateticum, id in primo de moribus ad Nicomachũ una cum ceteris fortunae bonis, quae uocantur externa, homini beato ad uitae ornamentum illius tribuit Aristoteles. Sic enim in eo de beata uita scriptum reliquit: Apparet eam tamen etiam bonis externis indigere, sicuti diximus. neque enim fieri potest, aut certe facile factu non est, ut is honestas actiones suscipiat, qui a bonis huiusmodi sit imparatus. aguntur enim multa amicorum opera ac diuitiis, & ciuili potentia, tamquam instrumentis. qui bonis uero quibusdam carent, felicitatem contaminant, ut nobilitate, bona progenie, pulchritudine: neque enim satis est ad felicitatem accõmodatus, qui aspectu omnino deformis est, aut ignobilis, aut solitarius & sine liberis. Ergo felicem etiam Aristoteles, nedum Lucianus, pulchrum esse uult. Quapropter? quia, ut Eustratio uidetur, aditum, & sermonem & congressum non formosissimi hominis horret multitudo: usu perita non fere fieri, ut uirtus in animo cuiusquam habitet, qui toto corpore sit turpissimus. ex quo Plauti sunt illa in Mercatore. CH. qua forma esse aiebant. Eu. ego dicam tibi, Canum, uarum, uentriosum, bucculentum, breuiculum, Subnigris oculis, oblongis malis, pansum aliquantulum. CH. non hominem mihi, sed thesaurum nescio quem memoras mali. Porro haec omnis quaestio non ex uulgi sensu imperiti, sed ex eo potissimum quod in primo de dicendi facultate scripsit Aristoteles persolui debet. ut quid sit in re ueri perspici possit liquidius. Inest inquit sua aetati cuique pulchritudo. Adolescentis enim pulchritudo est habere corpus utile ad labores capiendos, in currendo & ui facienda: aspectu iucundum hactenus, ut intuentes delectet. quamobrem Pentathli sunt pulcherrimi, quod simul & ad uim nati sunt & ad celeritatem. Viri autem est habere corpus ad militares labores idoneum: iucundum quidem aspectu, sed cum terrore. Senis, ut corpus possit ferre labores necessarios; dolore autem uacuum,

quia nihil habeat eorum quae ſenectutem laedunt. Ex quibus omnibus intelligi licet pulchritudinis duo eſſe ueluti genera: quorum alterum eſt membrorum uſus ad labores, hoc eſt, actiones uitae ſuſcipiendas, alterum eſt, forma, in qua eſt uel uenuſtas uel dignitas. genus illud prius, omni aetati neceſſarium eſt; poſterius hoc, forma ſcilicet, in adoleſcentia plus poteſt; minus in aetate confirmata; minimum in ſenectute: qua ipſa cũ ſpectantiũ oculos tantummodo iuuet, ad felicitatem certe, quam conſtanti aetate uiri ac ſenes praecipue adipiſcuntur, nihil omnino indigemus. Dicet aliquis, pulchritudinem iſtam, quia non neceſſaria ſit, ideo fruſtra iungi cum felicitate. & hoc equidem falſum puto. iungitur enim ob rem aliquã, cũ beata uita: quod eam decorat, ſi adſit; ſi abſit, contra dedecorat. atque hoc idẽ plane oſtendiſſe uidetur Ariſtoteles cum ait: FELICITATEM CONTAMINANT. neque ſecus de nobilitate ac liberis ſentiendum eſt: quorum bonorum accesſio beatam uitam exornat, perſpicue deformat detractio. Sed tamen ita, ut ſine ijs, bene beateque uiui queat. Diuitiae autem ſunt neceſſariae; primum ut ſit, unde ali beatus poſſit & ueſtiri: deinde, ad ſuſcipiendas actiones ex uirtute. beatus enim, cum idem ſit uir bonus, hoc eſt omni uirtute praeditus, ſi diuitiis careat, neque cuiquam benigne faciat ipſe, neque uicisſim, ſi quid accepit, grato animo reddat beneficium. qua de re in decimo ad Nicomachum & haec & alia dicuntur. Nam eorum quae ad uiuendum neceſſaria ſunt, & ſapiens & iuſtus & reliqui omnes indigent. Item paulo poſt, beatitudinem confert moralem, cum ea quae in contemplatione rerum ſita eſt, de eaq. ſic loquitur: Videatur autem & externorum bonorum copia parum admodum egere, aut minus, quam moralis beatitudo. rebus enim neceſſariis utriſque opus eſt. & opus ſit ſane ex aequo utrique (quamuis in corpore & aliis huiuſmodi plus elaborat ciuilis) paululum enim interſit: at in actionibns multum diſtabit. liberali enim pecunia opus erit ad actiones liberales. & iuſto ſcilicet ad remunerationes: obſcurae ſunt enim hominum uoluntates. Quis porro ſit diuitiarum modus, quem beata uita requirat, in eodem libro his uerbis praeſcribit. Nec tamen ſi fieri non poteſt, ut quiſquam ſine bonis externis ſit beatus, idcirco putandum eſt, mul

tis

tis ac magnis opibus homini beato opus fore. non enim id quod satis est, in nimio positum est, neque iudicium, neque actio. Fieri autem potest, ut etiam ij, qui maris & terrae imperium nõ habent, actiones honestas suscipiant. nam potest quis ex bonis mediocribus, quae uirtuti consentanea sunt, administrare. atque hoc perspicue cernere licet. priuati enim homines bene & ex uirtute rem gerere uidentur nihilo minus quam dynastae, ac multo etiam magis. Diuitiae ergo non magnae opus sunt beato ex Aristotelis quidem sententia, sed mediocres unde sumptus ad uitae ac uirtutis usum necessarius suppetat; nec tamen abundantes, quae satis sint alendis exercitibus, quales fuerunt Croesi apud Lydos; aut Crassi cognomine Diuitis apud Romanos. Quod uero ait Lucianus, maxime intelligentem esse Peripateticum, quamquam id alio etiam trahas licet, commodius tamen ad sextum de moribus ad Nicomachum reuocabis. in eo enim est de intelligentia quo habitu informata mens animi, quae res in consultationem ueniunt, de ijs bene iudicat tantummodo, non etiam deliberat. Est autem & intelligentia, inquit, & tarditas, unde intelligentes & tardos dicimus, neque idem omnino quod scientia, aut opinio; omnes enim essent intelligentes; neque una aliqua ex scientiis singularibus, ut Medicina quae in rebus salubribus, aut Geometria quae in magnitudinibus uersatur. neque enim intelligentia earum rerũ est, quae semper sunt, quaeque sunt immobiles, neque ullius earum, quae oriuntur, sed earum, de quibus dubitari & consultari potest. Quapropter in ijsdem rebus, in quibus & prudentia, uersatur. Sed tamen non est idem intelligentia, quod prudentia. habet enim iubendi uim prudentia: quid enim sit agendum aut non sit, finis ipsius est: intelligẽtia autem iudicandi solum. quod postremum cuiusmodi sit, apertius exponit, inferens proxime, intelligentiam esse opinionis usum, eius, qui de humanis rebus, in quibus est prudentia, iudicat alio loquẽte, ac praeclare iudicat. Illa uero quae sequuntur, omnia qui scit uniuerse, sapientem haud dubie designant. eius enim est haec propria & praecipua condicio: ut in prooemio περὶ τὰ φυσικὰ, ipse docet his uerbis: Primũ igitur existimamus sapientem scire omnia, quod licet, non singulatim habentem rerum ipsarum scientiam. Et mox ijsdem iteratis, etiã

cur

cur ita sit rationem suggerit hoc modo: omnia scire, ei qui scientiam maxime uniuersalem habet inesse necessarium est. hic enim res omnes subiectas scit quodammodo. in sexto quoque ad Nicomachum; nonnullos, inquit, esse uniuerse sapientes, non particulatim putamus. Additur istis omnibus, esse moderatũ, quod Lucianus graece dicit μέτριον, hoc est mediocrem, quo modo interdum etiam Aristoteles loquitur, ut in quarto de Republica apertissime, in illo loco qui est de diuitiis maxime memorabili: ἐπεὶ τοίνυν, inquit, ὁμολογεῖται τὸ μέτριον ἄριστον, καὶ τὸ μέσον· φανερὸν ὅτι καὶ τὴν οὐ δυτυχημάτων ἡ κτῆσις ἡ μέση βελτίστη πάντων. φάσκει γὰρ τῷ λόγῳ πειθαρχεῖν. Moderatus ergo est Peripateticus & mediocris, ex quo intelligitur uirtutes illum morales habere, quod earum uis est omnis in mediocritate sita. Eundem praeterea aequum esse subiicit Lucianus idem: id quod dupliciter interpretari licet. uno modo, ut pars quaedam iustitiae, nempe aequitas, & uelu ti iuris summi remissio, de qua est in extrema parte quinti ad Nicomachum, significetur. altero, ut uir bonus omni uirtute morali praeditus uno uerbo demonstretur. quomodo enim loquitur, γίνεσθαι ἐπιεικεῖς, apud hunc uim eandem habet, quod γίνεσθαι ἀγαθοὺς, bonos effici. in decimo enim ad Nicomachum in extremo haec uerba scripta sunt: εἰ μὲν οὖν ἦσαν οἱ λόγοι αὐτάρκεις πρὸς τὸ ποιῆσαι ἐπιεικεῖς, πολλοὺς ἂν μισθοὺς ἠ μεγάλους δικαίως ἔφερον κατὰ τὸν θέογνιν. & ab hoc loco non longe in eadem pagina: ἀγαπητὸν δ' ἴσως ἐστὶν, εἰ πάντων ὑπαρχόντων δι' ὧν ἐπιεικεῖς δοκοῦμεν γίνεσθαι, μεταλάβοιμεν τῆς ἀρετῆς. Quapropter per me quidem liceat unicuique de duobus utrum malit, probare. hoc enim an illud potius sequatur, ad rem minimum interest. nunc reliqua uideamus. Ad uitam, inquit, aptus & conueniens. Sunt omnino tres qui & in congressionibus, & conuictu, & sermonum ac rerum communione uersantur. blandus unus, qui placere omnibus concupiscit. alter morosus & ad concertationes procliuis. medius horum tertius, si Aristoteli fidem habeas, proprij nomi nis indiget. Sed amici tamen gerit similitudinem. a quo sic illũ ipse in quarto ad Nicomachum distinguit: Ab amicitia uero differt, quod sit sine affectu animi & caritate in eos quibuscum uersatur. non enim quia amat uel odit, approbat singula, ut debet, sed quia talis eius habitus est. aeque enim apud notos & ignotos,

ignotos, & apud familiares, & non familiares, idem eſt facturus: in ſingulis tamen ut conuenit. & de eodem paullo poſt: Aliter cum iis, inquit, congredietur, qui in dignitate ſunt, & cum priuatis, & magis uel minus notis: ſimiliterq. in aliis diſſimilitudinibus, ſuum cuique tribuens decorum. talem igitur animi habitum per haec Luciani uerba oſtendi, equidem ueriſimile arbitror. ex quibus apparet illud facillime, cuius gratia exponendi loci huius laborem ſuſcepi, tametſi ioco dicat omnia, nihil dicere tamen Lucianum, quod non re uera cum Ariſtotelis diſciplina apte conſentiat. quae cum ita ſe habeant, meo quidem animo cauſſa nulla eſt, quamobrem extrema illa de Peripatetica duplici, qui eſt alius domi, alius foris, unde illi Eſoterici & Exoterici nomen inditum, ab iſta ipſa eiuſdem diſciplina diſcrepare, quod plerique ambigui non tam uera, quam ingenioſa interpretatione decepti faciunt, nos item negligentes tantorum uirorum fidem temere ac falſo iudicemus. Etiam Luciani aequalis Plutarchus in eorum numerum, qui librorum Exotericorum meminerint, a doctis hominibus adſcribitur: in quo recte fieri puto. illud non puto, quod duo illius libros, unum de L. Sullae, alterum de Alexandri uita, in eam rem teſtes citant. nam in Sulla, de libris Ariſtotelis generatim, ut ab eo & Athenis inuenti ſint, & inde Romam tranſportati, in Alexandro autem de Acroamaticis tantū pauca quaedam narrat: de Exotericis quidem in neutro illorum nihil quidquam, quod pro certo affirmari poſſit, ab eo memoriae proditum legimus. itaque non tam eos in auctoris appellatione, quam in loci demonſtratione falli perſpicitur. nam quin huius quoq. generis mentionē aliquando fecerit, cur quiſquam dubitet, ſane nihil eſt. Extat illius ad Colotem Epicurium commentarius, in quo hac de cauſa hominē male accipit, quod is adamatas a Platone ſpecies, ab Ariſtotele ac Theophraſto aliiſq. deinceps Peripateticis omnibus fuiſſe approbatas falſo tradiderit. ab approbatione quarum tam longe abhorruiſſe Ariſtotelem ſubiungit, ut ubiq. locorum, in commentariis Ethicis, in phyſicis, in Exotericis, omnem in illas effuderit copiam argumentorum, concertantis potius, quod aliquibus uiſum eſt, quam philoſophantis more, ut per haec decreta Platonis philoſophiam eſpicere & dabiicere, in animo habuiſſe exiſtimatus ſit. uerba

autem

autem ex eo quem dixi libro ad Colotem, sunt haec. Ἰάσγε μὲν ἰδέας περὶ ὧν ἐγκαλεῖ [ὁ κολώτης] τῷ πλάτωνι, πανταχοῦ κινῶν ὁ ἀριστοτέλης, καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν αὐταῖς ἐν τοῖς ἠθικοῖς ὑπομνήμασι, ἐν τοῖς φυσικοῖς, διὰ τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων, φυλωνεικότερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἐκ τῶν δογμάτων τούτων ὡς προδήλους τῷ πλάτωνος ἀφιδεῖν φιλοσοφίαν, οὕτω μακρὰν ἦν τοῦ ἀκολουθεῖν. Talis ergo est Plutarchi locus, talis autem est expressa illius sententia. in qua duo praecipue debent animaduerti. Vnum exotericos ab Ethicis & Physicis commẽtariis seiungi. per eos porro etiã ab Acroamaticis: quandoquidem Ethici simul & Physici libri, manifesto sunt Acroamatici. alterum, ex horum uerborum sensu, quae adhuc animaduertit nemo, Geneſij opinionem, contra quam scribimus hoc tempore, inanem & commenticiam esse totam, non modo apertissime, uerum etiam firmissime coargui. quamquam enim aliqua de re Aristoteles disseruisse se in sermonibus Exotericis interdum, immo saepe dictitet, ad eosq. lectorem reiiciat, non est tamen ut quisquam uere existimet, per Exotericos sermones ostendi aut de rerum natura libros, ut Auerroes primum, deinde Albertus, exposuerunt, aut libros extra propositam sententiam, ut D. Thomas antiquitus, nostra memoria Genesius. Exotericos enim libros, Ethicis & Physicis commentariis adnumerare, cum quidem ab iis, ut planum feci, disiuncti sint & discreti, mihi certe, credo item aliis, si qui maxime uiri sapientis historiarumq. uarietate instructissimi non aspernantur fidem, ualde a uero alienum uidetur. Quapropter duodecimi de sapientia particulam, in qua de Ideis notam quaestionem illã proponit hoc pacto; ἐπειτα μετὰ ταῦτα χωρὶς περὶ τῆς ἰδεῶν αὐτῶν ἁπλῶς. καὶ ὅσον νόμου χάριν. τεθρύλληται γὰρ τὰ πολλὰ καὶ ἔσω τῆς ἐξωτερικῶν λόγων, hoc est, dein post haec, considerandum separatim de Ideis ipsis simpliciter, & legis gratia. multa namq. diuulgata sunt per exotericos sermones; sic puto exponendam, ut non hoc uelit Aristoteles, de Ideis multa fuisse diuulgata, libris Ethicis aut Physicis, quod quidam falso rentur, sed ostendat proprie sermones Exotericos, qui scripti fuerint in disputatione ac dialogo ad multitudinis opinionem, cuius causa libros eiusmodi conscripserat, atq. etiam in uulgus ediderat. quod ut ita esse credam, facit in primis illud, quod ait, τεθρύλληται, diuulgata sunt: ad

haec

haec Strabonis philosophi grauis auctoritas, narrantis, Exotericos libros in manibus fuisse Peripateticorum ueterum, qui post mortem Theophrasti in Lycio docuerunt. Verum ut ut, sit de isto non magnopere nunc quidem laborandum. nam quid sit hoc uerbi, νόμου χάριν, potius quaeri debet, quod & obscurius uidetur, & Syrianus, aliusq. nescio qui graecus interpres, quem habeo, nullum ad id interpretatione sua lumen attulerunt. quo magis adnitendum est, ut, quod huc faciat, nos aliquid curemus. Vox haec igitur, νόμος, multa significat. nam Aristoteles modo rationem a prudentia quadam & mente profectam esse uult, ut in decimo ad Nicomachum, cum eam esse inquit, λόγον ἀπὸ τινὸς φρονήσεως καὶ νοῦ, quibuscum illa in tertio de republica, ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος ὅτι, quod est, lex est mens sine appetitu, congruunt. modo pactionem & conuentionem uocat, in primo & tertio de republica, hoc est, ὁμολογίαν, & συνθήκλω, ut ipsius graecis uocibus utar. Sed haec a loco, qui nunc tractatur, longius paullo recedunt. appropinquat opinor ei magis hoc, ὁ μὲν γὰρ νόμος, δόξα πολλῶν, id est, nam lex, est opinio multorum, quod in Sophisticis Elenchis legitur. ubi & uerbum apud antiquos frequens fuisse, & contrarie opponi inter se τὸ κατὰ φύσιν, & τὸ κατὰ νόμον scribit ita: ὧν δὲ τὸ μὲν κατὰ φύσιν αὐτοῖς [ἀρχαίοις] τὸ ἀληθές. τὸ δὲ κατὰ νόμον, τὸ τοῖς πολλοῖς δοκοῦν. quae omnia partim ex Gorgia Platonis, partim ex eiusdem Minoe smuntur. definit enim in eo legem Minos his uerbis: νόμος δόγμα πόλεως. quae excepta a Socrate referuntur hoc modo, δόξαν ὡς ἔοικε λέγεις πολιτικλὸν τὸν νόμον. quod si lex sit opinio ciuitatis, ut Minoi ac Socrati uisum est, cum ciuitas sit quaedam multitudo, legem quoq. esse multitudinis opinionē consentaneum est. His ita constitutis, quod non potuerunt alij, sensum loci huius egregium uel nimia breuitate uel insolentia uerbi caecatum inluminemus. quod igitur sentit, ut puto, est huiusmodi. De Ideis ipsis simpliciter, multa esse consideranda, quae iam sunt diuulgata sermonibus exotericis. ea uero quae sunt diuulgata sermonibus Exotericis, legis gratia scilicet diuulgata sunt. quaecumq. autem sunt legis gratia, eadem sunt ad opinionem multitudinis, ut ex legis definitione docui. quas ob res de Ideis ipsis simpliciter plura sunt ad multitudinis opinionem consideranda. ad haec, quae ad multitudi-

nis opinionem considerandá sunt, ea dialecticis, &, quod idem ualet, ut notum est, logicis rationibus atq. argumentis, tractan da sunt. ex quo apparet, de Ideis ipsis separatim nulla re adiecta, dialecticis & logicis rationibus esse agendum. id quod in illius disputationis parte extrema subobscure significatur his uerbis: περὶ μὲν τῶν ἰδεῶν, καὶ τοῦτον τὸν τρόπον, καὶ διὰ λογικωτέρων καὶ ἀκριβεστέρων λόγων, ὅτι πολλὰ συναγαγεῖν ὅμοια τοῖς τεθεωρημένοις. De Ideis, inquit, & hoc modo, & rationibus magis logicis & certis, mul ta licet colligere, ijs quae sumus contemplati consimilia. Nos quidem ita de loci huius sententia opinamur. admonendi autem sunt, qui ista legent, in Plutarchi uerbis, quae supra recitaui-mus, mendū contineri. nam in ijs, pro διαλέγων, substitui opor tere, uel διαλόγων, uel λόγων, ut totum esset, διὰ τῆς ἐξωτερικῶν διαλόγων, quomodo scribendum curauimus, aut etiam, λόγων ue niebat in mentem suspicari. quarum lectionum prior graecis in-terpretibus Aristotelis, Exotericos & Dialogicos eosdem esse li-bros memorantibus, conuenit: posterior, Aristoteli ipsi con-sentit, qui ubiq. locorum ἐξωτερικοὺς λόγους coniuncte appella-uit. correctio tamen quae scripturam ueterem minus mutat, ea uero mihi magis probatur. Offert mihi se se praeter superiores Clementis Alexandrini locus, quem aspernari ac reiicere nullo modo debeo. est enim scriptor sane uetus, ut qui Commodo & Seuero imperantibus uixerit, idemq. ualde doctus, id quod eius graece scripti libri declarant. atque is ut est copiosus eam in par-tem differit uerbis pluribus, ut planum faciat sapientissimum quemq. philosophorum, abditarum rerum scientiam neque ex-posuisse in conspectu uulgi, neque cum delicatis ac segnioribus communicasse. quam consuetudinem primus omnium introdu xit Pythagoras, retinuerunt illius discipuli religiose, id quod ex Lysidis epistola, quae est in manibus, apparet. imitatus est etiam Plato quantū ex eius ad Dionis propinquos epistola perspexi. quo mortuo, qui insecuti sunt Stoici & Epicurij in pristino instituto ueluti more patrio philosophiae stabiles permanserunt. factū est idē aliquādiu etiā a Peripateticis. De rebus autē occultis, quid-quid monumentis litterarum consignauerant, illud omne in oc-culto habebant. ex eo natum, ut qui libri doctrinam reconditam cōtinerent, ij ab Aristotele ac Theophrasto praesertim, Esoterici,

hoc est,

hoc est, interiores dicerentur. quam rem his uerbis Clemēs persequitur: λέγουσι δέ τινες καὶ οἱ ἀριστοτέλους, τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν. τὰ δὲ κοινότερα καὶ ἐξωτερικά. id est, ferunt etiam Aristotelis familiares, ex libris ipsis alios esse Esotericos, alios communes & Exotericos. de quibus quidem uerbis non absurde ueteris poetae illud pronunciauerim, Non potuit paucis plura plane proloqui. siue enim auctoritatem, siue fidem, siue doctrinam in testimonio requiras, nihil isto grauius est, nihil uerius, nihil eruditius ad errorem coarguendum in quem a ueritate tamquam a recta uia libenti animo multi diuertunt. nam & Aristotelis librorum duo genera fuisse apertissime ostendit, & nominatim utrumq. appellat; Esotericum sicuti Lucianus, unum, quod Acroamaticum uocant alij: alterum Exotericum. & haec omnia dicit ex sententia ueterum Peripateticorum; quos ipsos Alexandro Aphrodisiensi aetate praestitisse credibile est: ut iam satis constet nouiciorum aures falsis & commenticiis nominibus occupatas ad historiae ueras uoces obsurduisse. sed haec nūc quidem hactenus. deinceps locos proferam ex graecis itidem scriptoribus, ijs, quorum in libros Aristotelis habentur commentarij, ab Alexandro exorsus, qui ceteris omnibus ut tempore, ita iudicio & sapientia longe antecellit. In libro igitur Aristotelis primo, eorum qui Topica inscribuntur, triplex quaestionum genus ponitur, unum morale, physicum alterum, tertium logicū, de quibus Dialectici disputant. horum unumquodque, dupliciter tractari docet idem. primum, ex ueritate; qui modus uni philosopho conuenit: deinde, ex opinione; id quod Dialectici proprium munus est. locum hunc igitur exponens in commentario Alexander, cum libros, in quibus quaestiones ad ueri[illegible] limatas ab Aristotele demonstrat, Politicas & Ethicas ac[illegible] itemq. Physicas nominat: cum autem uolumina, in [illegible]é eadem re ad opinionem differitur, nuncupatis E[illegible]oases, etenim in illis de moralibus ac physicis per[illegible] quibus de probabiliter dicuntur. totus autem loc[illegible]otericis addit, διαλεκτικῶς δὲ πρὸς δόξαν, ὡς ἔνιοι τῶν [illegible]ulta ad opinionem primū, res ph[illegible]s ita graeco scriptus est: τορικοῖς, καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς. καὶ [illegible] ἐπὶ τῆ πραγματεία, καὶ ἐν τοῖς φυσικῶν ἐνδόξως λ[illegible] μᾶλλον ἐν ἐκείνοις πλεῖσα, καὶ ὡς αὐτὴ ἡθι[illegible] [illegible]λεγεται. ex quo tria minimū eluceſcūt. [illegible]al & morales, materiē subiectā esse, in qua

uerſentur Exoterici : alterum, tractandi uia, quam Dialectico more ineunt : poſtremum de rebus eiuſmodi opinio, quae ueluti fructus ex tractatione Dialectica capitur. Auctoribus ergo Ariſtotele in primis, poſt etiam Alexandro Aphrodiſienſi, Philoſophus ac Dialecticus de eadem re facit alio modo. de re phyſica diſſerit uterque : exempli cauſa de Anima; ſed hic uerum quaerit, ille opinionem: ſuo tamen quiſque more & modo. quare ſicubi apud Ariſtotelem ſcriptum inuenias, De anima, aut etiam quid actio & effectio differant, dictum eſt in Exotericis, non cõtinuo inferri debet, hoc in Phyſicis, illud in nono de Sapientia explicari. ſunt enim res phyſicae ac morales; de quibus, ut ante docui, Dialectice, hoc eſt in diſputatione ac dialogo probabili, tum dicere, tum uero etiam ſcribere magiſtri permiſſu licet. Neque non antiquis concedendum eſt, Exotericos libros a Philoſophi ſcriptionibus genere diſtingui. at enim eadem eſt utrorumq. materies. at enim ne nos quidem hac re diſtingui eos inter ſe uolumus. rogat enim & reſpondet neceſſario Dialecticus : ex probabilibus concludit omnia : opinionem ſolum efficit : Philoſophus autem, ſcientiam ſpectat : ſi quando adhibet probabilia, ad ueritatem ea dirigit : interrogare ac reſpondere, prorſus nihil habet neceſſe. haec ergo ſunt & huiuſmodi alia, quibus ab Exotericis Philoſophum ſecernimus. quae planiora facere poſterius conabimur. Subſequitur Aphrodiſienſem magno interuallo interiecto Ammonius, ex Hermia patre & Aedeſia matre natus, Procli e Lycia diſcipulus, multorum autem, ut Philoponi & Simplicij, magiſter. putatur hic a quibuſdam ex eo Hermiae cognomen inueniſſe, quia interpretandi munere excelluerit. in quo decipi eos, ſi modo eſt hiſtoriae fides ulla, oportet. neq. enim Hermia cognomen eſt, ſed patris nomen, id quod Suidas in Hermiae philoſophi & in Aedeſiae uita diſerte explicauit. filios enim graecis ut ex patribus nominarent, frequens mos erat. qui mos ex libris & monumentorum antiquis inſcriptionibus paruo labore cognoſcitur. Ammonium autem hunc ſic appellaſſe uidentur ueteres diſtinguendi gratia, quod uixerat apud illos alter quoque Ammonius indidem Alexandria, quem a Chriſtianis ad Graecos tranſiiſſe ait Porphyrius, negat Euſebius. uerum hic Saccas, quod praeciſum puto, uel Saccophoros, quod

plenum

plenum iudico, dictus, Plotinum atq. Origenem docuit, sub L. Septimio Seuero Caesare, Ann. post Romam conditam DCCCXCVIII. ex qua notatione temporis, perspici potest, Hermiae filium, ut qui post Romam conditam Leone Caesare uidelicet, annis ∞. CC.XXV. floruerit, plane trecentis & uiginti septem annis Ammonio Sacca natu minore exstitisse. praeterirem haec omnia silentio libenter, atque in desertarum rerum numero collecticio iacere confusa facile paterer, nisi doctissimos senes magno in honore habitos adolescente me in describendis horum philosophorum aetatibus, & ipsos falli, & simul fallere alios, certo scirem. Sed redeo ad Hermiae filium, unde abieram. Huius igitur nomini inscriptus in Categorias teritur manibus omnium commentarius: quamquam docente illo exceptum a Philopono auditore certis de caussis nonnulli suspicantur. in eo de Exotericis ita multa sunt, ut qui uberius ac splendidius de iisdem scripserit, adhuc ipse, ut mea memoria est, legerim neminem. Primum duo ueluti summa genera librorū ponit. quorum alterum uocat ὑπομνηματικὸν, in quo res undique collectas ad usum siue unam siue plures memoriae caussa confuse congesserant Aristoteles, Theophrastus, ut haberent in promptu materiam praeparatam, si quid uellent suo arbitratu ipsi conscribere. alterum autem dici ait συνταγματικὸν, in quo partes suo quaeq. loco dispositae, atq. in ordinem distributae, apto & accommodato genere orationis uestiebantur. Secundum igitur hoc genus librorum, binis differentiis duas in partes ac membra porro distrahit. horum prius, αὐτοπρόσωπον simul & ἀκροαματικὸν nominari ait, ob eam rem, quod in eis doctor, nempe is qui disciplinam tradit alij, cum iusto & legitimo auditore solus cum solo sermonē habet; sic tamen ut qui audit, tamquam si persona muta sit, nihil nec roget nec respondeat. posterius autem, quodq. contrarie opponitur superiori, διαλογικὸν & ἐξωτερικὸν ea de caussa appellatum, quod idem scriptor aliena persona ad communem utilitatem suscepta multorum partes unus agit. Ex ijs in Autoprosopis & Acroamaticis consulto dicit occulte, & certis demonstrationibus utitur, quas, quia sunt obscurae, non intelligit multitudo. In Dialogicis & Exotericis, cum ad communem utilitatem differat, ea re adhibet simplices atq. apertas rationes, cognitu

gnitu faciles etiam turbae imperitorum. Haec ſunt Ammonij fere: expreſſa, quam pauciſſimis potuit: quamquam poſſunt non inutiliter eadem iſta ex uerbis quae ſubieci eiuſdem, reguſtari. genus ergo Hypomnematicon ita deſcribit: ὑπομνηματικὰ δὲ ἐκεῖνα καλοῦσιν, ὅσα πρὸς οἰκείαν ἀπεσημειοῦτο ὑπόμνησιν: Syntagmaticum uero ſic: συνταγματικὰ δὲ λέγουσιν, ὅσα τῇ φράσιν ἔχει πρέπουσαν συντάγματι, τῇ τῶν κεφαλαίων δὲ τάξιν διαίρεσιν. τῶν δὲ συνταγματικῶν, τὰ μὲν διαλογικὰ, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα. αὐτοπρόσωπα μὲν ἐν οἷς ἐξ οἰκείου προσώπου τῶν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο, ἅπερ καὶ ἀκροαματικὰ καλοῦσι, διὰ τὸ πρὸς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον. διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ ἐκάλουν, διὰ τὸ πρὸς τῶν τῶν πολλῶν γεγράφθαι ὠφέλειαν. Vtrumq. genus librorum hactenus & enumerauit, & quas haberet partes oſtendit. proxime ueto quae adiunguntur, eo pertinent, ut Autoproſopa & Acroamatica quid a Dialogicis & Exotericis differant ſciri poſſit. διαφέρει δὲ πλεῖστον τὰ διαλογικὰ τῶν αὐτοπροσώπων. ἐν μὲν γὰρ τοῖς αὐτοπροσώποις ἅτε πρὸς γνησίους ἀκροατὰς τὸν λόγον ποιούμενος, τὰ δοκοῦντα τε αὐτῷ λέγει, καὶ διὰ ἐπιχειρημάτων ἀκριβεστάτων, καὶ οἷς οὐχ οἷοί τέ εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθῆσαι. ἐν δὲ τοῖς διαλογικοῖς, ἅτε πρὸς κοινὸν καὶ τῶν τῶν πολλῶν ὠφέλειαν γεγραμμένοις, τὰ δοκοῦντα αὐτῷ λέγει, ἀλλ' οὐ διὰ ἀποδεικτικῶν ἐπιχειρημάτων, ἀλλὰ διὰ ἀποπλουστέρων, καὶ οἷς οἷοί τέ εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθεῖν. Haec ita latine conuerti, quo etiam graece neſcientes intelligant. Dialogica ab Autoproſopis differunt plurimum. in Autoproſopis enim, ut qui cum legitimis auditoribus ſermonem habeat, quae ipſi uidentur docet argumẽtis certiſſimis, quaeq. nequeat multitudo aſſequi: in Dialogicis uero, ut qui ad communem multitudinis utilitatem conſcripti ſint, quae ipſi uidentur docet non argumentis demonſtratiuis, ſed ſimplicioribus, quaeq. poſſit multitudo aſſequi. non loco, quod alij falſo credunt, Exotericos ab Acroamaticis diſtinguit, ſed argumentorum generibus. certe enim aliud eſt demonſtratio, aliud Syllogiſmus Dialecticus. quod ſi, ut tradit Ammonius, Acroamatici libri demonſtrationes, Exoterici Dialecticos habent Syllogiſmos, quae argumentationes genere ipſo diuerſae ſunt, uel Acroamaticos ab Exotericis genere diſiungi, uel demõſtrationis & Dialectici Syllogiſmi tolli diſcrimen, profecto rectũ eſt.

est. Non dubium est autem, quin, qui habentur de Sapientia libri, etiam qui sunt de rerum natura, & rebus ciuilibus, cuncti sint demonstratiue & ad scientiam conscripti accommodate. id restat igitur, ut Exotericos, non demonstratiue, sed Dialectice, ad uulgi opinionem confecerit Aristoteles. in quo nostri cũ graecis pugnant acriter. negat hoc enim Genesius, affirmat contra Ammonius: cui quidem assentiendũ arbitror. Iidem sunt enim Exoterici & Dialogici. Dialogos uero scripsisse Aristotelem, in quibus argumentis probabilibus fere usus fuerit, planum ex Cicerone & aliis feci antea. Sed quominus idem faciam ex Basilio, ne nunc quidem res ulla impedit. nam & is de Dialogis Theophrasti simul & Aristotelis cum Diodoro ad quem scribebat per epistolam egit his uerbis: τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, ἀριστοτέλης μὲν καὶ θεόφρασος, διὰ τοῦτ' αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων, διὰ τὸ σωιεδέναι ἑαυτοῖς τῶν πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. qui Dialogos, inquit, conscripserunt externi philosophi, Aristoteles & Theophrastus, quod se scirent esse inopes Platonicae uenustatis, continuo res ipsas adoriebantur. Dialogos ergo scripsit Aristoteles, quod multi confitentur: quorum unus est in ore antiquis maxime, is, qui Eudemus uel de Anima inscriptus, Eudemi Cyprij, Aristotelis condiscipuli in acie ad Syracusas occisi, siue mortem siue animum celebrabat. est item alter, Corinthius nomine, de quo in Sophista Themistius; sed hic longe minus uulgo notus quam superior. cuius argumentum quale fuerit, nondum etiam certum habeo. De optimo uitae genere in eo disputari, si coniectura capienda sit ex re ipsa, equidem suspicarer. Legerat enim ruri in agro Corinthio Platonis Gorgiam nescio quis agricola. is lecto libro, incensus philosophiae studio uidelicet, Athenas relictis rebus profectus, a Platone in disciplinam recipi uoluit. quod egregie factum, cum admiraretur Aristoteles, & maximi aestimaret, laudibus ornauit rusticũ hominem, scripto in eum sermone, quem ab agro, ubi uitam ille tolerauerat, Corinthium nominauit. Res igitur satis indicat, sic agricolam a Sole & puluere ad umbratilem uitam in otio trãsiisse, quasi si tempestate turbida imminente peritus gubernator nauem ex alto ac fluctibus in tranquillo & tuto portu saluam collocasset. dedidit ergo se se Corinthius agricultione deserta totum philoso-

philoſophiae ſtudio, hoc eſt, rerum contemplationi, in qua qui uiuit, bene beateq. uiuit, atque optimo uitae genere perfruitur. De quo uitae genere in Exotericis diſſeruiſſe Ariſtotelē, in prooemio ſeptimi Politicorum teſtificatur illud cum ait: νομίσαντας οὖ ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. uerum haec eſto coniectura probabilis, cui non ante aſſentiar, quam dialogum Ariſtotelis, qui mihi fidem plane faciat, inſpexero. Non receſſit a doctore ſuo Ioannes Philoponus, de ingenio cuius & doctrina in hiſtoriis a Calliſti filio Nicephoro multa referuntur. Philoponus igitur magiſtri opinionē retinuit: quod ex illius uerbis, quae ſunt in commentario in primum librum de Anima, plane oſtenditur. caput enim illud exponens, in quo eos redarguit Ariſtoteles, quibus anima eſſe harmonia uidebatur, & Exotericos eſſe libros pro certo affirmat, & in eorum numero Dialogos, quorum unus ſit Eudemus, reponit; addita etiam cauſſa, quid ſit quamobrem iſto nomine uocentur. haec igitur dicit cum docet οἱ ἐν κοινῷ λόγοι qui ſint apud Ariſtotelem: λέγοι δ' ἂν ἢ τὰς ἀγράφους αὐτοῦ συνουσίας πρὸς τοὺς ἑτέρους, ἢ τὰ ἐξωτερικὰ συγγράμματα, ὧν εἰσὶ καὶ οἱ διάλογοι, ὧν ὁ Εὔδημος. ἅπερ διὰ τοῦτο ἐξωτερικὰ κέκληται, ὅτι οὐ πρὸς τοὺς γνησίους ἀκροατὰς ἐγράφη, ἀλλ' εἰς τὸ κοινὸν καὶ τὸ τῶν πολλῶν ὠφέλειαν. Poſſit etiam dicere, inquit, aut inſcriptas ipſius collocutiones cum familiaribus, aut Exotericos libros, ex quibus Dialogi ſunt, ex quibus eſt Eudemus: quae ipſa ob hoc Exoterica uocata ſunt, quod non ad legitimos auditores ſcripta ſunt, ſed ad communē & multorum utilitatem. In commentario etiam quarti libri de rerum natura, rationes exotericas, quibus exquirens quid ſit tēpus Ariſtoteles, initio quaeſtionis utitur, Philoponus idem re coactus patefecit. ita, ut iis non modo libros, quod iam omnes ſciunt, uerum etiam argumenta, quod adhuc animaduertūt pauci, comprehendi concludique uelit hoc pacto: ἐξωτερικοὺς λόγους φησὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀκροαματικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν, τοὺς ἐξ ἐνδόξων καὶ πιθανῶν ὡρμημένους. εἴρηται δὲ ἐν κατηγορίαις ὅτι ἐξωτερικοὶ λόγοι εἰσὶν οἱ μὴ ἀποδεικτικοὶ, μηδὲ πρὸς τοὺς γνησίους τῶν ἀκροατῶν εἰρημένοι, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐκ πιθανῶν ὡρμημένοι. Conuertamus haec quoque, ab iis, qui graece neſciunt, paruo labore gratiam inituri: Exotericas orationes dicit, ad diſcrimen acroamaticarū

& demon-

& demonstratiuarum, ex probabilibus & persuadibilibus profectas. dictum est autem in categorijs exotericas rationes neq. demonstratiuas, neque ad legitimos auditores dictas fuisse, sed ad multitudinem ex persuadibilibus profectas. Et hic quidem locus magis ad argumenta, quam ad libros pertinet. id enim requirunt uerba, quae ex Aristotele Philoponus interpretatur. Accipi tamen etiam de libris potest. λόγος enim uox ab utroq. horum usurpata alias libros, alias syllogismos significat: ipseq. ad ea refert, quae de libris Ammonius uel ex Ammonio idem ipse Philoponus commemorauerunt. quare nihil dubitãdum quin libros uelit complecti. tria uero ex his licet colligi. primum, exotericas orationes confici ex probabilibus: alterum, illas neque demonstratiuas esse, neque ueris & legitimis auditoribus tradi: tertium, constare ex ijs quae ad persuadendum multitudinem sunt accommodata. quibus de singulis ex Aristotele manifestius alibi dicetur. Neque uero Simplicius a maioribus suis desciuit. nam hic cetero qui copiosus interpres, etsi in commentario ad categorias dialogicos libros tantummodo nominet, tamen in prooemio in physica, Dialogicis exotericos, de quibus antea tacuerat, iungit hoc pacto: διχῆ ὃ διηρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων εἴς τε τὰ ἐξωτερικὰ, οἷα τὰ ἱστορικὰ, καὶ τὰ διαλογικὰ, καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, καὶ εἰς τὰ ἀκροαματικὰ ὧν, καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ πραγματεία. transferamus etiam haec tenendi instituti caussa, & simul quia Hermolaus Barbarus eadem parum bona fide conuertit. ergo in hanc ferme sententiam scriptum est: Libri autem eius duas in partes cum sint diuisi, tum in exotericos (quales sunt historici ac dialogici & uniuerse qui non summam diligentiam requirunt) tum etiam in Acroamaticos, in quibus liber hic continetur. Exotericorum uim in angustum ab alijs coactam dilatat Simplicius & ampliorem facit, qui quidem illam usque eo proferat, ut etiam historicos alioscq. libros praeter dialogos intra fines exotericorum concludat. In expositione autem libri eiusdem operis quarti, exoterica, quemadmodum a Philopono factum fuisse prius commemoraui, dicit argumenta esse communia, concludentia probabiliter, non quae demonstrandi uim habeant his uerbis: ἐξωτερικὰ ὃ ὅτι τὰ κοινὰ καὶ δι' ἐνδόξων περαινόμενα, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικὰ, μὴ ὃ ἀκροαματικὰ. Et in primum De coelo idem Encyclia,

non alia esse quam exoterica tradidit, eaque differentijs quibus aliud ab alio genus internoscatur, ut ante, discernit, ita scribens: ἐγκύκλια δὲ φιλοσοφήματα καλεῖ τὰ κατὰ τάξιν ἀπ' ἀρχῆς πολλοῖς πρόσ τιθέμενα. ἅ τινα καὶ ἐξωτερικὰ καλεῖν εἴωθεν. ὥσπερ ἀκροαματικὰ καὶ συντα γματικὰ τὰ συνδεδεμένα. Encyclia inquit, Philosophemata uocat, quae ordinatim a primo multis apponebantur, quae ipsa etiam exoterica solitus est appellare: quemadmodum acroamatica & syntagmatica accuratius conscripta opera. Et haec quidem hoc modo, quae attento animo legi ualde desidero. sunt enim uerba, quibus a Simplicio Exotericos dici asseuerant, libros qui sint extra rem propositam. contra quos agerem pluribus, si opus esse iudicarem. nam de huiusmodi re hoc quidem loco prorsus nihil scribi apparet. Quapropter fictam eorum opinionem Paullus Manutius in commentario epistolarum ad Atticum, quem in uulgus edet propediem, recte repudiauit: uir acerrimi & elegantissimi iudicij, qui Romanae laudem eloquētiae nobis ita refert hoc tempore, ut priscos illius auctores, quorum habentur in honore scripta, partim exaequet, partim uincat orationis genere ipso flexibili, nitido, & sine satietate dulci. Sed redeo ad institutum. praemonui ab initio, totum hoc, quidquid esset, de quo graecos insimularent, nostrorum hominum esse inuentum, graecos nihil eiusmodi litteris prodidisse. orationem igitur eandem etiam nunc repeto: hoc fidentius, quod perscriptis fere omnium uerbis, & unde sumpta sint locis demonstratis, ex quo quid quisq. graecorum uel dixerit, uel senserit, etiam semidoctis pateat, me nihil a uero alienum comminisci. operaepretium est autem audire, D. Thomas, si minus princeps & auctor, at explicator certe ac propagator huius sententiae, quae loquatur. Dicit enim in extremo commentario primi De moribus ad Nicomachum: Exteriores sermones uocantur, qui sunt extra propositam scientiam. & in eiusdem operis libro sexto, cum effectionem ab actione distinguit, Et his, inquit, possumus assentire per rationes exteriores, id est, per ea quae determinata sunt extra istam scientiam, scilicet in nono Metaphysicae. Arriserunt ista D. Thomae aliquandiu: sed is, ut Simplicium e gracco uersum uidit, homo non minus iudicio quam sanctitate ornatissimus, quem adamauerat errorem adolescens, eundem senex ueri caussa libenter abiecit.

abiecit. ergo in commentario primi De caelo, quem nemo non approbat, & in caelum fert laudibus, ut alia pleraque sic & hoc ex graecis Simplicij ita expresit. Apud Philosophos erant duo genera dogmatum. quaedam enim erant quae a principio secundum ordinem doctrinae multitudini apponebantur: quae quidem uocabantur Encyclia. quaedam erant magis subtilia, quae proponebantur auditoribus iam prouectis, quae uocabantur syntagmatica uel acroamatica. Ex quo, positis duobus dogmatum generibus, ea si litteris consignata fuerint, quin librorum duo itidem genera pariant, quod tantopere quaeritur, effici minime dubito. iam uero, qui dat Acroamaticos, quamobrem exotericos idem concedat, caussam profecto habet & ueram & grauem. Huc accedit, quod Encyclij, de quibus in extremo plura, ijdem sunt cum Exotericis auctore Simplicio. itaque si dat Encyclios, ne neget nobis Exotericos. Supereſt etiã unus de graecis Eustratius, ne quem peregrinum his de rebus qui scripserit aliquid praetermittam. hic igitur primi de moribus exponens locum, in quo appellãtur Exoterici, docet librorum Aristotelis fuisse duplex genus: unum Acroamaticum inscriptum, ipsius auditoribus non per alium quempiam, sed per ipsum Aristotelem explicatum: alterum Exotericum, quod ideo sic nominauit, quoniam id ad eos, qui extra numerum discipulorum essent, rogatus miserat. De quibus haec scribit: *ταῦτα ὧ ἐξωτερικὰ, διότι τούτων ἕκαστον πρός τινὰ ζητήσαντα γέγραπται ἔξω τῆς κοινῆς ἀκροάσεως*. haec uero, inquit, Exoterica nominantur, quod horum unumquodq. ad quempiam qui aliquid quaesiuit conscriptum est, extra communem auditionem. conuenit Eustratio cum alijs, librorum genus quod Aristoteles confecerit, Exotericum exstitisse. in eo dissidet, quod illi Exotericos dici opinantur, ob eam rem, quod ad multorum utilitatẽ & scripti & editi sint ab auctore. hic uero, quoniam ad aliquem unum, qui non inter discipulos numeraretur, eos proprie miserit. quin idem etiam in sua sententia incertus animi uacillat. Exotericos enim in sexto De moribus, sermones esse statuit, quos expers logicae facultatis uulgus in ore habeat: quod haud scio an praeter Eustratium alius quispiã sensserit. sunt enim haec ipsa illius: *ἐξωτερικοὺς δ' ὀνομάζει λόγους, οὓς ἔξω τῆς λογικῆς παραδόσεως κοινῶς λαὶ πλήθη φοιτᾶ*. quod uero ait solitum Aristotelem

ſtotelem, quae ſcripſerat diſcipulis ipſum explicare, & libros interpretari, ne non ſit fictum ualde uereor. nec enim, quod ſciam, alij conſuetudinis huiuſmodi meminerunt. Sed Euſtratium, unaq. cum eo antiquos, de quibus ſatis dictum arbitror, dimitto. Venio ad recentes ac nouitios: quorũ opiniones praeterire ab initio decreueram. in quo ne ſtarem cauſſa me una atque altera, ſane probabilis, impulit. ſunt enim ſcriptores duo in primis nobiles; uterque autem cur ita ſentiat etiam cauſſas offert ſeparatim, ex Ariſtotele unus, alter ex Platone, quorum auctoritatem pro mea in uiros ſumme ſapientes obſeruantia maximi aeſtimo. Ex ijs prior igitur Exotericos librorum genus quoddam tradit fuiſſe, quod ad illos proprie ſcriberetur, qui omnibus artibus ac ſcientijs uellent erudiri. eruditionem uero ait multarum rerum eſſe cognitionem ex cauſſis uniuerſalioribus nullo ordine comparatam. παιδείαν putat eam in primo De partibus Animalium ab Ariſtotele nominari. addit porro eruditionis iſtius gratia, conſcripta fuiſſe ab eodem Problemata, & neſcio quae moralia. Acroamaticos uero genus alterum ad illos miſſum cenſet, qui proximas rerum cauſſas diſcere ordinatim concupiſcunt. quo in genere de Phyſicis rebus uolumina, quae exſtant, ab illo omnia collocantur. Quod dicit igitur, libros exotericos ad eruditionem ualuiſſe, id totum incertum atque obſcurum eſt. neque enim ita ſe rem habere planum facit ratione ulla, aut argumento, quodque probare debet ut dubium, ſuo quodam iure ſibi ſumit pro conceſſo, ac plane ponit, non demonſtrat. Neque uero iſte auctor nouae, uetuſtam opinionem a qua diſcrepat, ſignis aut coniecturis redarguit: ut antiquiori, quae ſcriptis multorum tamquam tabulis teſtatior eſt, longe praeſtet fidem habere, quam nouam ſine approbatione ſequi. Ex qua ne hoc quidem poteſt perſpici, quidnam cauſſae ſit, quamobrem hi libri ab Ariſtotele inſcripti fuerint Exoterici: quod tamen ut pateret, ſtudioſe curauit antiquitas. De eruditione uero, quae idem retulit, ex commentarijs interpretum, maximam partem excerpta ſunt. primum enim, quod eam dicit, multarum rerum eſſe notitiam, id ab Euſtratio eſt, qui πολυπειρίαν ἐν πράγμασιν, hoc eſt, magnum uſum in rebus, expoſuit. deinde quod cognitionem ex cauſſis uniuerſalioribus eandē oriri ſcribit, ſane in eo Leonicum imitatur,

qui

qui multo ante ex cauſſis remotioribus cognitionem iſtam proficiſci dixerat. poſtremo quam hic inordinatam, Leonicus confuſam rei cognitionem appellauit. mihi autem dubium non eſt, quin Epheſium ſequi ducem uterque in animo habuerit. hic enim ſcientiam ab eruditione primum ſecernit. dein ſic eam definit, ut ſit cognitio certiſſima. ex quo eruditionem, quae diſtat a ſcientia, confuſam & inordinatam eſſe cognitionem ueluti ex cõtrario deſcribunt. illa etiam hoc eodem e fonte deriuant, ab erudito rem ex cauſſa cognoſci. eruditus eſt enim in geometricis, ſi Epheſio interpretanti credimus, is, qui geometricas quaeſtiones aliquot cognoſcit ex principiis geometricis. quod ſi principia geometrica cauſſae ſunt geometricae, eruditum in geometricis oportet quaeſtiones aliquot geometricas, ex cauſſis item geometricis cognoſcere. pleraque hic igitur haurit ex commentarijs, ut paullo ante dixi. nam ab Ariſtotele nomen παιδείας ſolummodo, nè id quidem plene, ſed praeciſe accipit. eſt enim apud illum παιδεία minimum duplex; altera, quam hoc totum ὅλως παιδείαν, ut in primo De animalium partibus, aut περὶ πᾶν παιδείαν, ut in primo De Moribus, hoc eſt omnium rerum eruditionem, uocat, altera, quae iiſdem in locis παιδεία, ideſt eruditio dicitur. at uero hic noſter, cum primum genus intelligi uellet, tamen ſecundi nomine illud perperam nobis ſignificat. cui peccato, quod ipſius erat proprium, cum multis commune aliud imprudens adiecit. confudit enim cum ſcientia eruditionem, contra quam fecerit Ariſtoteles. ſi enim, ut ait, eruditus, qua eruditus eſt, rem ex cauſa cognoſcit, certe eruditus qua eruditus, ſciat neceſſe eſt; ſi modo rem ex cauſſa cognoſcere; id ipſum omnino eſt, quod ſcire. Ad hoc reſpõdebit opinor, ab erudito rem cognoſci ex cauſſa uniuerſaliori & longinqua: quae cognitio non ſit proprie ſciẽtia. quapropter non ſciri quidpiam proprie ab erudito. quae excuſatio ut accipiatur, minime tamen dubitationem tollit. nihilo deterius enim hac conceſſa, manet illud, eruditum ſcire, quod ſententiae Ariſtotelis repugnare admonui. hoc uero culpae genus, eo magis uitare nos oportet, quo minus ueniae datur iis, qui in quem errorem incidiſſe alios demonſtrarint, in eundem ipſi per incuriam delabuntur. Quapropter hac de re quod alii non potuerunt, Ariſtotelis & uerba & ſenſus maxime, pro meis uiribus,

ribus, ut potero exprimam diligenter. Quid igitur sit Paedia, quam eruditionem uocarunt, primum dicam, deinde quot eius sint partes, postremo quàm sit ad disciplinas utilis adiiciam. nec reticebo illud in praesentia, scripsisse Aristotelem de Paedia separatim; nesciri autem, quoniam liber non exstat, quid ille sibi uoluerit. tractauisse etiam Theophrastum genus idem argumenti, quo in opere de uirtutibus egit, quantum quidem ex inscriptione licet animaduertere. cuius consilium, ut non improbamus, quia uerum est, ita quod a nostro instituto alienum est, minime sequimur. Commune nomen est aliis rebus Paedia non uirtutis proprium, cui communis item notio subest, quam initio libri de partibus Animalium Aristoteles uel ex coniugatis, uel ex habitu & eo q̃ habitū habet (talia sunt enim παιδεία & πεπαιδευμένος, hoc est, paedia & paedio praeditus) descriptā hoc pacto reliquit: Paedia est eius qui paediam habet. is autem qui paediam habet, potest apposite iudicare quid recte aut non recte aut eo qui docet explicetur. quapropter Paedia est potentia, siue facultas apte iudicandi quid recte aut non recte exponatur a docente. collocat paediam in potentia, uelut in genere. si enim qui paediam habet, potest, ex eo paediam esse potentiam uerius inferas, quam quomodo ex Auerrore Suessanus, cognitionem: siquidem cognitio actus est quidam, non potentia. at Aristoteles paediam eā dem, habitum etiam appellat, cum in primis uerbis ait, duos esse habitus, ex quibus alter sit paedia, alter autem scientia. Iudicare autem apposite, quod in definitione ponitur, id facultatis officium, siue usum mauis, ostendit. etenim paedia est potentia, omnis autem potentia est propter aliquem usum, cuius etiam gratia comparatur. Videndi facultas uerbi caussa, tribuitur animalibus a natura, ut uideant. ergo facultatis uidendi officium & usus, est uidere. eodem modo facultatis texendi officium est, texere; item ut aedificandi aedificare; saltandi pariter saltare. suum est enim unicuique facultati officium. ita fit, quoniam paedia est facultas, ut eius proprium officium sit, apte iudicare. qua uero ad extremum additur, quid recte aut non recte dicat, is qui docet, id attento animo considerari oportebit. alius est enim qui iudicat, aljus contra qui iudicatur. prior est paedia praeditus tãtummodo. at posterior is est qui dicit ac docet. qui docet autem

sine

sine dubio doctor est. ergo paedia praeditus, ut idem sit auditor, idemque discipulus, rationi ualde consentaneum uidetur. Hoc igitur maxime modo paedia uniuerse definitur. uere autem ita definiri, ex illius partibus, approbatur. pars est enim praedictae eruditionis, omnino eruditus, & aliqua in re eruditus. id ex eo liquet, quod in partem utramq. proposita descriptio uere conuenit. nam & qui omnino eruditus est, & qui aliqua in re est eruditus, potest apte iudicare, quid recte aut non recte dicat is, qui docet aliquid, quamquam alio modo. etenim omnino eruditus, omnibus in rebus hoc ipso munere potest fungi, numero unus. at aliqua in re eruditus, certa de re tantummodo iudicat, illa uidelicet una, in qua est eruditus. quamobrem perspicue patet, omnino eruditum, ab eo, qui sit aliqua in re eruditus, subiecta re solummodo distingui: quod hic de rebus omnibus, ille de una re aliqua iudicandi habet facultatem. superior haec autem oratio, paediam triplicem nobis patefacit. primo generalē unā, quae est facultas apte iudicandi, quid bene aut non bene dicat, is qui docet. deinde duas huius species, quarum altera est eruditio rerum omnium: sic enim uertitur, ἡ περὶ πᾶν παιδεία, uel, ἡ ὅλως παιδεία: quam spectarunt solam nonnulli. postrema unius rei alicuius eruditio, ut animalium naturae, at actionum humanarum. ad hos autem posteriores eruditos, misisse Aristotelem libros Acroamaticos, non exotericos, ut aiunt, plane ueluti oculis cernimus. eruditis enim in historia animalium, libri de Animalium Partibus, rerum autem humanarum peritis, libri De moribus ad Nicomachum scribuntur: qui cum istorum etiam concessu sint omnes aeque Acroamatici, fatendum certe est, ad eos auditores, qui definiti generis rerum eruditionem siue paediam habeant, mihi ab Aristotele Acroamaticos iis porro qui sunt omnino eruditi, quos idem libros conscripserit, ex historia nondum etiam exploratum est. coniicio tamen eiusmodi auditores idoneos esse ad eam scientiam, quae rerum omnium caussas considerat. illam uero libris de Sapientia, qui τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ inscribuntur, ab eo tradi in dubium uere nemo reuocauerit. Quo circa iis qui omni in re sunt eruditi, libros τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, in quibus rerum omnium caussae tradūtur, proprie assignari oportere licet existimare. Hactenus igitur quid sit generalis paedia,

quotque

quotque sint eius partes, tum quomodo hae & ab ea & inter se differant, satis dictum est. Nunc quam ad rem sit utilis paedia restat ut persequar. Sed hoc non apte fiet ad docendum, antequam patuerit, qualis paedia sit uel habitus uel facultas. iamdudum enim, illam esse utrumque praemonui. Qualis habitus autem sit ac facultas paedia, ipsius officium atque usus recte ostēdit. prior est enim officii (actum quem uocant sic appello) quam facultatis cognitio, ea re, quod ex hoc illa cognoscitur, non e cōtrario. Est igitur paediae, ut dixi prius, officium, recte iudicare. quinque autem sunt quibus id muneris attribuitur. primū, cognitio. deinde, uirtus. post eam, scientia. exinde, ars. postremo, experientia. Ac de cognitione in primo ad Nicomachū diserte scribuntur haec: ἕκαστος ὃ κρινεῖ καλῶς ἃ γινώσκει: unusquisque, inquit, ea recte iudicat, quae cognoscit. De uirtute uero quae sequitur proxime; illa sunt in eiusdem operis libro eodem, de honestis actionibus: εἴπερ καλῶς κρίνει περὶ αὐτῶν ὁ σπουδαῖος. κρινεῖ δ' ὡς εἴπομεν: hoc est, si modo de iis [honestis actionibus] bonus uir recte iudicat. iudicat autem, quemadmodum diximus. item in tertio ita scriptum est, ὁ σπουδαῖος γὰρ ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, hoc est, bonus uir, singula recte iudicat. in tertio quoque ad Eudemum ita locus hic legitur: κρίνει δὲ περὶ τὰ ἕκαστα ἀρετὴ τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἔλαττον ὀρθῶς: quod est, in singulis bonis, quod maius aut minus est, uirtus recte iudicat. Conuenire hoc praeterea muneris etiam scientiae, docent tertij Politicorum uerba haec: ἀποδίδομεν δὲ τὸ κρίνειν οὐδὲν ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις ἢ τοῖς εἰδόσιν. Iudicare, inquit, paedia praeditis nihilo minus, quam iis qui sciunt, assignamus. Quod idē Plato uidetur in Lachete sub persona Socratis sensisse, cum eum hoc modo loquentem facit: ἐπιστήμῃ γὰρ οἶμαι δεῖ κρίνεσθαι. ἀλλ' οὐ πλήθει τὸ μέλλον καλῶς κρίνεσθαι, id est, oportere iudicari a scientia opinor, non a multitudine, quod recte iudicandum est. Sed hic tamen locus, ut ex aliis uerbis quae leguntur ibidem liquet, simul & ad paediam & ad artem potest referri. De qua arte in tertio Politicorum ista planissime dicuntur: δόξειεν ἂν τοῦ αὐτοῦ εἶναι τὸ κρίναι τὶς ὀρθῶς ἰάτρευκεν, οὗπερ καὶ τὸ ἰατρεῦσαι καὶ ποιῆσαι ὑγιᾶ τὸν κάμνοντα τῆς νόσου παρούσης. οὗτος δ' ἐστὶν ἰατρός. ὁμοίως δὲ τοῦτο καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐμπειρίας καὶ τέχνας. Videatur, inquit, eiusdem esse, iudicare, num quis recte curauerit, cuius & curare, &

re, & aegrotantem ob praesentem morbum, sanum facere. hic autem est medicus. consimiliter autem se res haec habet in alijs cum experientijs, tum artibus. non solum artē igitur, ex eo quod proxime supra posui, sed experientiam quoque fungi officio iudicādi satis constat. de qua in Decimo ad Nicomachum sic est: οἱ γὰρ ἔμπειροι πρὸς ἕκαστα κρίνουσιν ὀρθῶς τὰ ἔργα. quod est. experientes enim singularum rerum, recte opera iudicant. atque hi omnes loci sunt, qui recte iudicandi munus, cognitioni, uirtuti, sciētiae, arti, experientiae, tribui ab Aristotele, id quod ab initio proposui, planum faciunt. de quibus singulis, cur deinceps agatur, nihil necesse est. satis nāque fuerit ad id quod spectamus, harum rerum duas, aut etiam tres, de quibus uerba fiant, ex omni numero seligere. apparet quidem certe paediam ex ijs unā esse oportere. illius enim officium est recte iudicare. recte iudicandi autem officium, uti docui, est uel cognitionis, uel uirtutis, uel scientiae & artis, uel experientiae. ex quo paediam unum aliquod horum esse prorsus necesse est. de quibus sigillatim disserere, non sane est cur suscipiatur labor. Si enim ea sit uel scientia, uel ars, eadē una erit item uirtus simul & cognitio. est enim utraque habitus mentis optimus. hic autem habitus, mentis est uirtus. etiam utraque cognitio quaedam est. nam ambae cur sit & causſam cognoscunt. id in scientia manifesto apparet; cum quidem scire ipsum sit ex causſa rem cognoscere. at in arte pro certo idem poni ab Aristotele, paullo post elucebit. Ad haec ars omnis etiam scientia est. est enim habitus, qui cur sit & causſam cognoscit. omnis autem habitus qui cur sit & causſam nouit scientia est. itaque ars scientia est. locus est in primo De sapientia, qui ea quae dico sic approbet: τόγε εἰδέναι καὶ τὸ ἐπαΐειν τῇ τέχνῃ τῆς ἐμπειρίας ὑπάρχειν ὀιόμεθα μᾶλλον. Scire & intelligere, inquit, magis inesse arti quam experientiae arbitramur. cuius rei rationes has illico suggerit: τοῦτο δὲ ὅτι οἱ μὲν αἰτίαν ἴσασιν, οἱ δ' οὔ. οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι τὸ ὅτι μὲν ἴσασι. διότι δ' οὐκ ἴσασιν. οἱ δὲ τὸ διότι καὶ τὴν αἰτίαν γνωρίζουσι. Hoc autem, inquit, ideo fit, quod hi causſam sciunt, illi uero non. experientes enim rem esse sciunt; cur autem sit, nescIunt. illi uero cur sit & causſam cognoscunt. Est igitur, quantum licet ex his intelligi, ars ac scientia, simul & uirtus & cognitio, quod ut docerem proposueram. Experientia

quoque eſt, etiam ſi non ſimiliter ut ſuperiora, cognitio. quam rem uerba ex prooemio librorum De Sapientia ſatis ſuperque ſic declarant: ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστον ἐστὶ γνῶσις. ἡ δὲ τέχνη, τῶν καθόλου. Experientia, inquit, eſt cognitio ſingularium, Ars uero, uniuerſalium. Quapropter ſi quis Paediam eſſe aut artē aut ſciētiam oſtendat, is illam eſſe tum uirtutem tum notitiam una comprobabit. Sin quis paediam non eſſe ſcientiam demonſtret, hic paediam nec artem eſſe nec uirtutem mentis eadem uia uicerit. Eſt ne igitur paedia, ſcientia & ars, an potius experientia? his de tribus ſcilicet unum aliquid uidetur. Paedia enim recte iudicat. recte uero in primis iudicat, aut ſcientia & ars, aut experientia. quare conſentaneum eſt, ut ad harum unam paedia referatur. at enim Paedia non eſt ſcientia: nec enim haec eſt ſine ueri perquiſitione: ſi modo uerum eſt totidem ſciri, quot ea ſunt, quae quaerantur. e contrario Paedia ueritatem minime inueſtigat. docent hocilla ex primo De Animalium partibus: πεπαιδευμένος ἀποδέχεται τὸν τρόπον τῆς εἰρημένων χωρὶς τοῦ πῶς ἔχει τ' ἀληθὲς, εἴτε οὕτως, εἴτε ἄλλως. quae ſic fere conuerti: Paedia praeditus explicandi rationem approbat, ueritatis inquiſitione remota, ſiue ſic, ſiue alio modo ſe res habeat. itaque ut Paediae ſcientiam inferas non eſt ut poſſit fieri. Item, ſcientia non eſt in diſcente, antequam is, qui diſcit, eam a doctore accipiat. atqui Paediam in audiente diſcipulo, prius quam is a docente ſcientiam accipiat, tum in primo De Moribus, tum in primo De Animalium Partibus Ariſtoteles requirit. quamobrem Paedia perſpicue ſcientia nulla eſt. poſtremo dubitationem ipſe in operis initio, quod eſt De Animalium Partibus, omnem omnino tollit. cenſet enim in omni contemplatione ac docendi uia ſpecies duas habitus apparere, quorum alterum rei ſcientiam, alterum ueluti paediam appellare bene habeat. quo loco cum duas eſſe ſpecies habitus ponat: duae autem ſpecies, ideo duae ſunt, quia differentiis minimum duabus diſcernuntur: ſine dubio paediam a ſcientia differentijs uel duabus uel etiam pluribus diſtingui oportet. Quemadmodum autem ſi quis animal duas in partes diſtribuat, ut rationis una ſit expers, altera particeps, recte idem dixerit, animalis partem quae ſit rationis expers, non eam eſſe rationis participem, contra uero quae ſit rationis particeps, eandem rationis eſſe expertem, ue-

re

re negauerit : ita cum duae ſint habitus ſpecies , ſcientia & Paedia, ex his duabus alteram ineſſe alteri, hic ipſe nequaquam conceſſerit . particulam autem eius operis , quod antea commemorau i , quamquam in promptu ſita erat, non alienum tamen duxi adſcribere : quo minori quiuis labore, de Ariſtotelis ſenſu, lectis illius uerbis, poſſet exiſtimare. illa uero ſunt huiuſmodi : περὶ πᾶσαν θεωρίαν καὶ μέθοδον , ὁμοίως ταπεινοτέραν τε καὶ τιμιωτέραν δύο φαίνονται τρόποι τῆς ἕξεως εἶναι . ὧν τῷ μὲν ἀπειρήκαμεν τὰ πράγματος , καλῶς ἔχει προσαγορεύειν τὸν δ' οἷον παιδείαν τινά . Vt autem hic Paediam a ſcientia , ſic a paedia praedito , eum qui ſcientiam habeat , in tertio De Republica diſiunxit, cuius loci uerba ad faciendam fidem iterum ſubijciam : ἀποδίδομεν δέ , inquit , τὸ κρίνειν οὐδὲν ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις ἢ τοῖς εἰδόσιν : hoc eſt , Iudicare nihilominus paediam habentibus, quam ijs qui ſciunt attribuimus. Quas ob res paediam no n eſſe ſcientiam ſatis iam patere arbitror . ex quo, ut ne ars quidem ſit , perſpicue ſequitur . ars enim , ut ante docui , quia cauſſas cognoſcit , eſt ſcientia . Paedia autem non eſt ſcientia . ita fit ut non ſit ars Paedia . quod ſi Paedia nec ars eſt , nec ſcientia, reſtat ut ea ſit experientia : quandoquidem de tribus unã hanc numerauimus. cum his etiam eorum congruit opinio , qui Ariſtotelem in primo De Moribus ad Nicomachum paedia praeditum auditorem oppoſuiſſe imperito contrarie prodiderũt. opponitur autem imperi to contrarie peritus. quamobrem ut paedia praeditus ille ſit quem peritum dicimus, non male colligunt . Graecus quoque incerto nomine operis eiuſdem interpres , τὸν πεπαιδευμένον quem paedia praeditum ſaepe nomino , graece τὸν πεῖραν λαβόντα , quod a ſuperiore ſententia non abhorret , & τὸν πείραν εἰδότα pro eodem expoſuit . Theodorus praeterea huc intendiſſe animum poteſt uideri , cum paediam quae ab Ariſtotele uocatur , peritiam ipſe in Latinum conuerterit . Et haec quidem omnia, qualis paedia ſit habitus, aperiunt . quid ea porro ad ſcientias & artes praebeat utilitatis, deinceps nobis explicandum eſt . Scientia igitur & ars omnis fructum ex paedia capit duplicem. ab hac enim initia primo , deinde antecedentem notitiam illorum ſu mit . haec eſt enim experientia : experiens autem & in rerum ttactatione diutina exercitatus, collecta ad uſum principia, ſcientijs atque artibus cunctis ſuppeditat ; ſimulque illa eſſe cog-

noſcit: quae duo exorſus a priore prius continuo pergam pluribus patefacere. Ex ſenſu igitur, quam a natura facultatem accepimus, nobis memoria ingeneratur. tum autem exſiſtit memoria in nobis, cum ſpeciem ac formam (phantaſma, hoc eſt, uiſum uocant) rei ſenſu perceptae, ſenſus communis, qui eſt in corde, cognoſcit ea condicione ut & olim perceptam, & ut imaginem. Sed ut dicere coeperam, ex ſenſu in nobis memoria gignitur, ex memoria autem eiuſdem rei repetita ſaepe & iterata, fit experientia. plures enim memoriae eiuſdem rei, ſunt una experientia. Ex hac denique experientia, fit uniuerſale: quod ipſum & artis eſt & ſcientiae principium. Dicit enim ipſe concludens Poſteriores Analyticos, quomodo quidem in antiquiſſimo libro perſcriptum legitur: ἐκ δ' ἐμπειρίας, ἠρεμήσαντος τ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά, ὅ ἂν ἐν ἅπασιν ᾖ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης. Ex quibus ab ea quam dixi experientia fieri uniuerſale, & id ipſum artis ac ſcientiae, quemadmodum ſupra poſui, principium eſſe, facillime poteſt perſpici. Quoniam autem dictum eſt, habere experientem collecta principia, quae artibus ac ſcientijs omnibus ſubminiſtret, ne quid commenticium attuliſſe exiſtimemur, age hoc quoque, adſcriptis ex primo Priorum Analyticorum ipſius uerbis, confirmemus. ait enim: τὰς μὲν ἀρχὰς τὰς περὶ ἕκαστον ἐμπειρίας ὅτι παραδοῦναι. λέγω δέ, οἷον τὴν ἀστρολογικὴν μὲν ἐμπειρίαν, τῆς ἀστρολογικῆς ἐπιστήμης. ληφθέντων γὰρ ἱκανῶς τῶν φαινομένων, οὕτως ἀπέδοσαν αἱ ἀστρολογικαὶ ἀποδείξεις. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ ἄλλην ὁποιανοῦν ἔχει τέχνην τε καὶ ἐπιστήμην. Hic profecto aperte admodum, & ſine circuitione dicit ulla, rei uniuſcuiuſque principia tradi ab experientia. cuius quidem ſententiae, quo magis eam ante oculos nobis poneret, exemplo illuſtri explanationem attulit, cum ſubiecit ſtatim, Aſtrologicae experientiae officium eſt, Aſtrologicae ſcientiae ſuppeditare initia. ita uero ſe rem habere probat ex hiſtoria, collectis, inquit, quantum ſat erat apparentibus, aſtrologicae demonſtrationes: hoc pacto inuentae ſunt, priuato autem exemplo uſus, ne quis hac re falleretur, ad extremum addit, eodem etiam pacto ſe res habet in alia tum arte tum ſcientia qualicumque. Non ergo priuatam, ſed communem uiam & rationem hanc artibus & ſcientijs omnibus eſſe uult. Via uero eſt huiuſmodi: Experiens idemque uſu peritus, propria

rei

rei cuiuſque principia colligit & comportat. collecta & comportata, Analytica ſcientia inſtructo eius ueluti miniſter offert. ille autem, ex propriis principiis, quae parata habet, propoſitiones ac demonſtrationes uel ad artem uel ad ſcientiam conficit. atque haec ad omnes uia pertinet. Quemadmodum enim Aſtrologicae experientiae intereſt, initia deligere Aſtrologicae ſcientiae, ita & experientiae phyſicae, principia ſcientiae phyſicorum, & experientiae rerum ciuilium atque humanarum, ciuilis facultatis initia, proprie officium & munus eſt conquirere. quae res eodem modo ſe habet in alijs artibus ac ſcientiis omnibus. quod ſi uerum eſt: male Alexander. quas enim partes experientiae dedit Ariſtoteles, ut ſola uniuſcuiuſque ſcientiae initia colligeret, has ipſe doctore inuito & reclamante, ad ſcientiam quoque iterum & tertio paene per uim tranſtulit. habet enim in commentario ſic: ἑκάστης ἐπιστήμης ἐστὶ τὰς ἰδίας ἀρχὰς, ἐξ ὧν αἱ προτάσης τε καὶ συλλογισμοὶ, παρέχειν τε καὶ ἐκλέγειν. id eſt, Vniuſcuiuſque ſcientiae munus eſt, propria principia, ex quibus propoſitiones ac ſyllogiſmi fiunt, praebere atque deligere. & ab hoc loco non longe admodum, ſed in eadem tamen expoſitione: τὰς προτάσεις, τὰς οἰκείας ἑκάστῃ ὁπτῆμῃ, τοῦ καθ' ἑκάστω ὁπτῆμονος ὄξιν ἐκλέξαι ἐκλογῶν οἰκείων: propoſitiones, inquit, proprias unicuique ſcientiae, illius eſt, qui unamquamque ſcientiam habet, ſuis quaſque delectibus eligere. atque in his quod erat experientiae proprium, ſcientiae bis attributum perſpicue cernimus. in particula uero quam infra ſupponam communiter utrique datur idem muneris: τὸ μὲν οὖν ἐκλέγειν τίνα οἰκεία, καὶ τίνα μὴ, τῶν ὑποκειμένων ὅρων, τῶν περὶ ἕκασον ὁπτημόνων τε καὶ ἐμπείρων ἴδιον. hoc eſt, propoſitae igitur quaeſtionis terminorum, quae ſint, quae ue non ſint propria, eligere, ſcientis ſimul & experientis uniuſcuiuſque rei, officium proprium eſt. ſi eſt hic ut Alexander ſcientiam & experientiam diuerſum quiddam opinetur, quod eſt experientiae proprium munus, auctore Ariſtotele, id cum ſcientia confuſe communicat. Sin idem putat utramque, aliam atque aliam eſſe naturam ambarum non uidet. Verum digrediendi modum aliquá do faciamus. Quoniam igitur Paedia eſt experientia, experientiae autem, ſicuti docui, legere propria uniuſcuiuſque initia ſciētiae, munus eſt, propterea Paediae hoc idem muneris debet aſſignari

Sri-

Sit ergo Paediae una haec utilitas : altera uero, quam dehinc persequar. Iam antea dictum est, ab Experientia rem esse cognosci. atqui rem esse principium est. itaque Paedia, quoniam quidem est experientia, principia cognoscit. haec quidem sunt Aristotelis : a quo in primo De Sapientia scriptum est : οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι, τὸ ὅτι μὲν ἴσασι. διότι δὲ οὐκ ἴσασι : Experientes, inquit, rem esse cognoscunt ; cur sit, ignorant. & de Moribus ad Nicomachum in primo haec quoque reperiuntur : τὸ δ' ὅτι, πρῶτον καὶ ἀρχή. quae sic reddas, Rem uero esse, primum ac principium est. atq. haec alio nomine praenotio, eademque antecedens cognitio principiorum dicitur, non autem, ut falso rentur quidam, quaestio an sit, aut illi quaestioni respondens scientiae species, demonstratione comparata. Nam de praenotione in initio primi Posteriorū Analyticorum graece sic est : διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν. τὰ μὲν γὰρ ὅτι ὅτι πρού πολαμβάνειν ἀναγκαῖον · τὰ δὲ τί τὸ λεγόμενον ὅτι, ξυιέναι δεῖ. τὰ δὲ ἄμφω. Duobus autem modis, inquit, praenoscere necessarium est. in alijs enim rem esse prius existimare necessarium. in alijs quid significet, quod dicitur intelligendum est. in aliis uero utrumque. & de eadem re, ubi de suis cuiusque artis ac scientiae, principijs loquitur, infra planius : λέγω δ' ἀρχὰς ἐν ἑκάσῳ γένει ταύτας, ἃς ὅτι ὅτι μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι : dico autem, inquit, principia in unoquoque genere, haec, quae esse non contingit demonstrare. quibus e uestigio attexuit: ὅτι δ' ἔστι τὰς μὲν ἀρχὰς ἀνάγκη λαμβάνειν τὰ δ' ἄλλα δεικνύναι : quod est, Esse autem principia necesse est sumere, alia uero demonstrare. ex quibus Paediae utilitas altera satis ostenditur. scientijs igitur atque artibus prodest illa duplici ter. primum, quod propria earum cognoscit principia. deinde, quod eadem illa delegit & utenda aliis praebeat : quod certe posterius sine priori minime potest effici. ideo quod ignotarum rerum delectum habet nemo. Quamquam autem uterque usus paediae, de quibus adhuc dictum est, in omnes propemodum disciplinas conuenit uniuerse : tenendum tamen est, suam esse cuiusque artis ac scientiae paediam, id quod antea praemonui. Quemadmdum enim est unius rei experientia, qualis eorum, qui uni generi dediti sunt, ita etiam paedia est unius rei ; exempli caussa Animalium, & actionum humanarum. quarum alteram in illius scientiae discipulo, in qua caussas animalium explicat,

cat, alteram in auditore ciuilis facultatis, quae libris De moribus ad Nicomachum traditur, Aristoteles, ut notum est. requirit. quo loco quaerat aliquis auditori ciuilis facultatis, quid paedia profit actionum humanarum. Neque enim discipulum tali habitu praeditum esse oportere, frustra & ob rem nullam nos in primis Aristoteles docuit. An utroque modo prodest? certe. actionum enim humanarum paedia praeditus, & uniuersales tenet actiones, quibus principijs ad ratiocinandum ciuilis facultas utitur, & easdem, principia item esse cognoscit. Vniuersales enim actiones fiunt ex paedia & experientia, una re uidelicet. experientia uero ex multis memorijs actionum singularum. plures autem memoriae ex actionibus singulis sensu olim perceptis gignuntur. quemadmodum autem hoc fiat, proxime patefiet. Principio, consuescere idem esse, quod saepe & continenter facere, Aristotele auctore ponimus. certe enim de tritici farina quaerens quaedam in Problematis ita scribit: ἔθος ὅτι τὸ πολλάκις καὶ συνεχῶς ποιεῖν: consuescere, inquit, est saepe & continenter facere. & alijs locis pluribus nihil umquam mutauit. Vt in primo de Arte Rhetorica, de ijs quae fiunt ex consuetudine, ἔθει δέ, inquit, ὅσα διὰ τὸ πολλάκις πεποιηκέναι ποιοῦσι: id est, consuetudine autem, ea quae, quia saepe fecerunt, faciunt. item in eodem, ὅτι δὲ ἡ μὲν φύσις, τοῦ ἀεί, τὸ δὲ ἔθος, τοῦ πολλάκις: est autem, inquit, natura, quod semper; consuetudo eius quod saepe. De re eadē sensit idem etiam in libro De Memoria. Sed nihil praetermittere, commemorare omnia, minime quidem in praesentia necessarium ducimus. qui assuescit igitur actionibus humanis, quo sibi uirtutes morales quaerat, idem agit saepius: qui agit idem saepius, actionem eandem saepe sentit (est enim actio motus, qui sensum mouet) qui actionem eandem saepe sentit, etiam saepe actionem eandem memoriae commendat: qui saepe actionē eandem memoria tenet, eiusdem actionis capit experientiam. Denique ex eiusdem actionis humanae experientia, mente concipitur uniuersalis actio: quae & principium est rerum sub actionem cadentium, & una etiam rationum earum, quibus ciuilis utitur facultas. Non hanc autem solum uim habet rerum humanarum peritus, sed idem etiam principia cognoscit. Experiens enim omnis & usu doctus, rem esse nouit. atqui rem esse initium est.

est. Hactenus facto ab ijs quae sensum mouent initio, nempe ab ijs quae sentimus, meminimus, experti sumus, ad principio quae mens intelligit, hoc est, actiones humanas uniuersales, alte ueluti per gradus adscēdimus. Sunt autem quae sensus mouent, nota nobis: quae uero mentem, absolute nota, &, ut usitatius loiquar, nota natura. Ab ultimum inuentis ergo rursus exordir bene habet: quae si superioribus consentire demonstrabimus, usu profecto ueniet, ut illa ipsa. tum firmiora tum illustriora magis multo faciamus. Vniuersalis actio, rerum agendarum principium, ut ante praediximus, ea est, cuius gratia res aguntur. αἱ μὲν γὰρ ἀρχαὶ τῶ πρακτῷ, τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτὰ, dicit ipse in sexto ad Nicomachum. & in proximo sequenti septimo, repetit idem his uerbis: ἐν δὲ τῶ πράξεσι, τὸ οὗ ἕνεκα, ἀρχή. Quapropter nobis hoc ipsi uere praesumimus, uniuersalem actionem, quae sit principium rerum agendarum, illam esse, cuius gratia res agatur. Atqui, cum id, cuius gratia quid agitur, sit finis, non dubium esse potest, quin uniuersalis actio, unde agendi ducitur initium, sit finis. Quoniam autem finis nisi bono uiro, cuiquam non apparet, ea re, ut uniuersalis actio, nisi bono uiro, cuiquam non appareat, perspicue necessarium est. Haec uoluisse Aristotelem, sexti ad Nicomachum locus hic ostendit, in quo est: οἱ γὰρ συλλογισμοὶ τῶν πρακτῶν ἀρχὼν ἔχοντες εἰσὶν, ἐπειδὴ τοιόνδε τὸ τέλος καὶ τὸ ἄριστον, ὅτι δὴ πολεῦν. ἕως γὰρ λόγου χάριν τὸ τυχὸν. τοῦτο δ' εἰ μὴ πῶ ἀγαθῷ οὐ φαίνεται: cuius quidem sententiam, quia paucis bene cognita est, liberius paullo explicabimus. De rebus, inquit, agendis ciuili facultate praeditus ratiocinatur. omnis autem ratiocinatio sua habet principia. propositiones suas scilicet, ac terminos medios subiecto generi proprios atque accommodatos. Ex quo fit, ut rerum agendarum sua & propria ciuilis facultas habeat initia. Quamobrem ratiocinationes ait, quae de rebus agendis fiunt, suum habent initium, quod quale esset, satis ostendit illud QVONIAM finis est huiusmodi: sit enim qualiscumque. etenim ciuili facultate instructum ponere finem primo; deinde quale sit illud per definitionem explicare; ad extremum, hoc rerum agendarum fine pro initio uti, cum de rebus sub actionem uenientibus ratiocinatur, demonstrat. quod autem infert in clausula, HIC AVTEM cuiquam nisi bono uiro non apparet, quam maxime

xime planum facit, finem ac principium agendarum rerum, nisi si is uir bonus est, cognosci a nemine. Quae sententia nostram superiorem apertissime omnino confirmat. conclusum est enim supra, uniuersalem actionem, quae sit principium rerum agendarum, non apparere cuiquam, nisi bono uiro. cum uero bonus uir sit ille, qui uirtutes habet morales, actio uniuersalis, agendae rei principium, ei solummodo, qui uirtutes habeat morales, nota erit. quod si uirtus, ea, quae proprie moralis dicitur, bona consuetudine dumtaxat quaeri potest: certe qui bene consuetuerint, soli oportet ut rerum agendarum initia cognoscant. quas ob res bene consuetos simul & in boni uiri disciplina educatos, ex Platonis primo de legibus potissimum, πεπαιδευμένους hoc est, paedia praeditos, auditores esse ad scientiam ciuilem idoneos recte tissime Aristoteles demonstrauit. At uero consueti perperam, & uitijs imbuti homines, haec agendarum rerum principia nequaquam uident. Nam uitium omne, in actionibus & animi affectibus nimium aut parum est. nimium uero & parum mediocritatem corrumpit. at mediocritas, est id cuius gratia. hoc autem finis est, & rerum earum, quae ipsi agimus, principium. hinc in sexto ad Nicomachum emanant illa: τῷ δὲ διεφθαρμένῳ δι' ἡδονὴν ἢ λύπην, οὐδὲν οὐ φανεῖται ἡ ἀρχή. οὐδὲ δεῖν τούτου ἕνεκα. οὐδὲ διὰ τοῦδ' αἱρεῖσθαι πάντα, καὶ πράττειν. δεῖ γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς: quae sic uerti possunt: corrupto autem uoluptate aut dolore, principium continuo non apparebit, nec huius gratia oportere, nec expeti ac geri propter hoc omnia. uitiositas enim principij corruptrix est. in quo loco dici aperte uidemus, non cerni animo rerum initia, quae sub actionem cadunt ab ijs qui se uitijs contaminarint. item animum deprauari uitijs, illisq. ut fallatur in principijs actionum effici. habitus autem, unde hic error oritur, agendi principium delet ac perimit, auctore Aristotele, qui in sexto eodem ad Nicomachum, finem, nisi bono uiro, apparere nemini, sic approbat: διαστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία καὶ διαψεύδεσθαι ποιεῖ περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχάς, quemadmodum proxime expositi. Ergo uitiosus agendarum rerum principia minime nouit. rationes quoque & argumenta inde ducta, quibus ciuilis utitur facultas, idem ut ignoret necesse est: neque enim intelligunt argumentationes principiorum ignari. Quare uitiosus ne docilis quidem fuerit ad

hanc disciplinam. Ab hac Aristotelis sententia, Bartholomaeus Caualcans, is, ex cuius consilio Senae temporibus ultimis Respub. constituta est, longe admodum digreditur. affirmat enim in commentariis, qui de Repub. optime administranda nuper exierunt, ab eo qui non modo sine uirtute sit, uerum etiam uitiosus, quae ad uirtutis cognitionem pertinent, bene saepenumero cognosci. in quo quidem peccat dupliciter. quatenus enim quod ad uirtutis uim attinet, id satis cognosci putat ab homine uitioso, illum decipi superiora planum faciunt. quatenus uero qui uirtute carent, iis bene cognitam ait esse uim uirtutis, dicit etiam pugnantia. qui enim bene cognoscit uirtutes, is facultate ciuili praeditus est, cui munus hoc & cognitio proprie assignatur. ciuilis autem facultas est prudentia: propterea quod habitus idē est, ut illa in sexto de moribus declarant: ὅτι δὲ ἡ πολιτικὴ καὶ ἡ φρόνησις ἡ αὐτὴ ἕξις: est autem & ciuilis facultas & prudentia idem habitus. quare fit, ut qui uirtutes bene nouerit, idem etiam sit prudens, quoniam autem prudentia uirtus est, idcirco ut qui sine uirtute est, hic rursus uirtutem habeat sequi necessarium est. Sed huic uiro, qui ingenio & usu rerum praestitit, non meminisse, quid inter uitiosum & incontinentem interesset, fraudem attulit. Intemperans enim hoc est, uitiosus, atque incontinens, est ubi conueniant, est rursum ubi distent. in eo conueniunt, quod corporis uoluptates, ex edendo, & bibendo, & rebus ueneris, quas uulgus percipit, uterque appetit atque consectatur. distant autem, quod huiusmodi uoluptates persequendas esse intemperans & uitiosus opinatur. incontinens contra, esse fugiendas uere existimat. consilium huius igitur bonum est. quare malus dimidia ex parte ab Aristotele dicitur. in agendo enim peccat; in consultando non peccat. sunt huius rationes laudandae; acta non item. Quapropter, quoniam uitiosus similiter agit ut incontinens: hic autem de uirtutibus uerbo non re multa philosophatur, hanc ob similitudinem usu uenire uidetur, ut uitiosus uirtutis scientiam, cum in eo nulla sit. tamen aliquam teneat: quod falsum esse iam antea docuimns. Sed redeundum aliquando unde abijmus. Ab eo, qui uirtutes morales haberet, initia rationum, quibus ciuilis facultas utitur, dicebamus cognosci: & qui principia rationum cognosceret, ab eodem quae concluderentur,

derentur, etiam posse perspici facilius. Videbatur enim hoc rationis omnis commune, siue illa demonstratio, siue esset syllogismus dialecticus: quod ut nusquam alibi, certe in initio primi Posteriorum Analyticorum patefactum est. quo circa qui morales haberet uirtutes, eum ad disciplinam ciuilem perdiscendam proprie accommodatum nobis uideri tradidimus. Cum uero ciuilis facultas idem sit habitus, quod prudentia, ut dudum ostendimus; qui bene educatus est, & uirtutes habet morales, prudentiam sibi unus proprie comparabit. Efficietur ergo uir proprie bonus: siquidem morales habebit uirtutes iunctas cum prudentia: quibus utrisq. qui praeditus est, hunc uirum proprie bonum appellari, ex sexto ad Nicomachum probant haec uerba: *οὐ χὶ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶ) κυρίως, ἄνδ φρονήσεως, οὐ δὲ φρόνιμον ἄνδ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς*: non potest, inquit, bonus esse proprie sine prudentia, nec prudens sine morali uirtute. Ex quibus plane licet intelligi, Bartholomeum Caualcantem in commentariis de Republica, ex doctrina uirtutem in nobis creari, falso negare. Duplex enim est uirtus, moralis altera, altera mentis animi, quã, quod in ea parte animae, quae cogitat, posita sit, *διανοητικὴ* graeco uerbo uocat Aristoteles. Moralis uirtus ex bona consuetudine nobis quaeritur, numquam ex doctrina; at mentis uirtus, ex doctrina fere, non ex consuetudine paratur. atqui prudentia mẽtis uirtus est. huiusmodi autem uirtus ex doctrina maximam partem gignitur. Docet hoc locus ex initio secundi ad Nicomachũ, qua est: *διτῆς ὴ ἀρετῆς οὔσης, τῆς μὲν διανοητικῆς. τῆς ὴ ἠθικῆς. ἡ μὲν διανοητικὴ, τὸ πλεῖσον ἐκ διδασκαλίας ἔχει χ) τ' χρόνου χ) τ' αὔξησιν. διόπερ ἐμπειρίας δεῖται χ) χρόνου. ἡ δὲ ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίνεται. ὅθεν χ) τοὔνομα ἔσχηκε, μικρὸν παρεγκλίνον ἀπὸ τ' ἔθους*. Cum autem, inquit, uirtus sit duplex, mentis una, moralis altera: quae mentis est, maximam partem ex doctrina ortum & incrementum habet. quo circa experientiae & temporis indiget. moralis autem ex more acquiritur, unde etiam nomen a more declinans paullulum accepit. atque haec ex doctrina certum quoddam genus uirtutis gigni, satis fidem faciunt. itaque eidem quaerenti efficiatur ne bonus uir consuetudine an doctrina; fidenter utraque re fieri bonum debet respondi. bonus enim uir proprie, sicuti habet animi duas partes, appetitum ac mentem, ita duo sibi quaerit uirtutum gene-

ra. quorum alterum in appetitu, qui est sine ratione, alterum in mente, quae pars animi rationem habet, reponitur. appetitui uirtus moralis inest, cui usu & consuetudine ea quaeritur. mēti uero uirtus sua inhaeret: quod genus, scientiam, artem, prudentiam, mentem, sapientiam praecipue continet. hae omnes ex doctrina & ortum habent & incrementum. quamobrem fieri bonos dicendum bona partim consuetudine, partim uero etiam liberali doctrina: & ab his duabus rebus uirtutes animis hominū ingenerari. ex quibus tamen uirtutibus ante alias moralis primo, post eam autem ciuilis facultas, hoc est prudentia & mentis uirtus, recte atque ordine comparatur. Quae res, ita quidem certa est, ut, qui ei ueluti dubiae repugnet, simul Aristotelis sententiae, simul Platonis, palam repugnet. Nihil hic opus est, ubi res agitur paene ex toto manifesta, superuacaneis argumentis redundare. quam ob caussam capitis unius appositione, ex libro De Moribus ad Nicomachum decimo, nunc quidem contenti erimus. in quo bonos effici ostendit ipse non omnes promiscue, quod falso credidit Epicurus, sed eos tantummodo, qui bona consuetudine, tum paediam tum uirtutes morales, iam antea sibi quaesierint. illud igitur est ad uerbum huiusmodi: ὁ μὲν λόγος καὶ ὁ διδαχὴ μή πού ἐν ἅπασιν ἰσχύει, ἀλλὰ δεῖ προδιειργάσθαι τοῖς ἤθεσι τὸ τοῦ ἀκροατοῦ ψυχὴν πρὸς τὸ καλῶς χαίρειν καὶ μισεῖν ὥσπερ γῆν τὸ θρέψουσαν τὸ σπέρμα. quod idem latine ad uerbum licet isto modo transferamus. Oratio autem & doctrina non in omnes ualet, sed oportet praecultum esse consuetudinibus animum auditoris, ut recte gaudeat & oderit, proinde ac terram quae educatura sit semen sparsum. hic quidem est capitis totius sensus integer, cuius partes singulas quam uim habeant explicandi gratia hinc orsi uideamus. Ex aliorum opinione, parari uirtutem ac bonos effici, tribus modis Aristoteles proxime supra exposuit, Natura, Consuetudine, Doctrina: quibus singulis singula respōsa paucis reddidit. primo namque totum hoc, uirtutem & bonos fieri natura, esse in nostra potestate situm negat. concedit illud, in nobis uirtutem natura gigni, & eandem ob caussam fieri bonos, non humano consilio aut opera, sed Dei concessu & munere. eos etiam uere fortunatos appellat, quibus natura bonis esse & uirtute praeditis obtigerit. Atque haec bona fortuna, illa est, de qua

in

in secundo Magnorum Moralium, & in septimo ad Eudaemũ uberius multa praescribuntur. Virtus ipsa, quam natura nobis inserit, in sexto ad Nicomachum, ἕξις φυσικὴ, hoc est, naturalis habitus dicitur in illo loco, παισὶ γὰρ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξεις, ἀλλ' ἄνευ μοῦ βλαβεραὶ φαίνονται οὖσαι. pueris, inquit, & belluis habitus insunt naturales, sed ij sine mente manifesto nocent. Eosdem etiam uirtutis naturalis nomine ostenderat paullo ante, sed ibidem, cum istos naturales siue habitus siue uirtutes, moralium uirtutum, quae proprie sunt uirtutes, quaeq. moribus & consuetudine parantur, similes esse planum faceret his uerbis: ἡ ἀρετὴ παραπλησίως ἔχει, ὡς ἡ φρόνησις πρὸς τὴν δεινότητα, οὐ ταυτὸν, ὅμοιον δὲ, οὕτω γὰ ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν. πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως. γὰ γὰρ δίκαιοι, γὰ σωφρονικοὶ, γὰ ἀνδρεῖοι, γὰ τ' ἄλλα ἕξομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. Virtus, inquit, eodem modo se habet, ut prudentia ad solertiam, cui non eadem est, sed assimilis, ita & naturalis uirtus, ad eam quae proprie uirtus est. omnibus enim singuli mores inesse natura quodammodo uidentur. nam & iusti, & temperantes, & fortes, & mores alios statim ut sumus orti habemus. Altero modo, consuetudine uirtutem effici in secundo ad Nicomachum lõga oratione patefactum est. de quo quin ita sit, ne nunc quidem dubitat. itaque ad doctrinam, gignũdae uirtutis modum tertium e uestigio transit. Doctrina uero gigni uirtutem mentis, quae animi pars intelligit, in initio secundi ad Nicomachum etiam ipse dicit. Nunc hoc amplius, doctrinam qua mentibus humanis uirtus ingeneratur, in eos tantummodo ualere, qui animum, hoc est appetitum, uirtute morali parta consuetudine prius expoliuerint. Rem adhuc proposuimus: uerba nunc interpretemur. ORATIO ET DOCTRINA. genus est oratio, quod partes multas complectitur. quare doctrinam ei adiunxit, ut partem orationis ad docendum accommodatam, quasi digito ad eam intento, iudicaret. NON IN OMNES VALET. doctrinam qua uirtus simul & bonus uir efficitur, prodesse negat omnibus. id quod in primo quoque libro rationibus adiectis aliquot probauit. ab hac enim doctrina, quicumque obsequerentur animo, eiq. seruirent inhonestis uoluptatibus dediti, omnes, ut alienos, submouit. restat igitur, si non omnibus, certe ur quibusdam usui sit uirtutis doctrina.

quare

quare pergit qui nam sint patefacere. SED OPORTET praecultum esse consuetudinibus auditoris animum. Verbis in eadē sententia, quae & necessitatem & tempus antegressum significāt, semel atque iterum utitur. paullo post enim haec scribit: δεῖ δὴ τὸ ἦθος προυπάρχειν πῶς οἰκεῖον τῆς ἀρετῆς. oportet igitur, inquit, morem prius adesse accōmodatum uirtuti. oportet iteratum, cōsuetudinibus praecultum, & mores prius adesse, alteri alterum belle cohaerent. Est porro prudentiae, quae facultas eadem ciuilis est, uirtus moralis necessaria. nam prudentia sine uirtute moralli esse non potest. id autem, sine quo aliqua res esse non potest, necessarium est. itaque moralis uirtus prudentiae necessaria est: quam ob caussam in sexto ad Nicomachum, ut docui prius, haec dicuntur: οὐ χ οἷόντε ἀγαθὸν εἶ) κυρίως ἄνδ φρονήσεως. οὐ δὲ φρόνιμον ἄνδ ἠθικῆς ἀρεθῆς: non potest inquit, bonus esse proprie sine prudentia, nec prudens sine morali uirtute. OPORTET PRAECVLTVM esse consuetudinibus auditoris animum. Auditori ciuilis facultatis ac prudentiae, qui bonus doctrina fieri uult, & mentis uirtutes has adipisci, necessarium esse ut appetitum prius consuefaciat, agri feracis exemplo docet. is enim ad eius quod satum est educationem, aratur multo ante, & iteratur, atque subigitur. animi uero cultura in auditore huius disciplinae paedia est, de qua sermonem iamdiu habemus. auditor enim doctrinae ciuilis & prudentiae, qui bonus doctoris opera fieri uult, & mētis has uirtutes sibi comparare, ut animo sit exculto consuetudine, oportet. at animo tali qui sunt, paediam, & mehercule uirtutem moralem etiam habent. Quapropter ut ad ciuilem doctrinam idoneus auditor paediam simul & uirtutē moralem habeat, necessarium est. quod quidem ita esse adiecta uerba declarant: VT RECTE GAVDEAT ET ODERIT. hic fructus est, quem bona consuetudo, tamquam agri diligens cultura, in auditoris animo procreauit. gaudere & odisse animi duo sunt affectus cum dolore aut uoluptate. ergo auditor, is, a quo ciuilis facultas & prudentia, hoc est, mentis uirtus quaeritur, recte laetabitur & recte oderit. quoniam autem qui recte laetantur & recte oderunt, paediam habent, unaq. uirtutem moralem, eo fit, ut ciuilis disciplinae auditor, paediam ac moralem uirtutem habere debeat. ostendit hoc secundi ad Nicomachum locus, ubi de

paedia

paedia ex Platonis secundo de Legibus, haec plane scripta sunt: δεῖ ἥχθαι πῶς ἀθυὸς ἐκ νέων, ὡς ὁ πλάτων φησὶν, ὥστε χαίρειν τε καὶ λυπεῖσθαι οἷς δεῖ. ἡ γὰρ ὀρθὴ παιδεία αὕτη ἐστὶν. oportet, inquit, educatum esse quodammodo a pueris ilico, ut Plato ait, ut laetemur & doleamus quibus oportet. nam recta paedia haec est. Diximus de Paedia, nunc in morali uirtute notum idem faciamus. in quo uerbis ipsius dumtaxat utendum; argumentis, quibus in secundo ad Nicomachum rem fusius explanauit, in praesentia supersedendum. De morali ergo uirtute, in quarto ad Nicomachum, haec leguntur: τῆς ἀρετῆς γὰρ καὶ ἡδεσθαι καὶ λυπεῖσθαι ὀφ' οἷς δεῖ, καὶ ὡς δεῖ. uirtutis enim, inquit, est & laetari, & dolere, quibus oportet, & ut oportet. in octauo etiam De Repub. eodem sensu ita scriptum inuenimus: συμβέβηκεν ἐπὶ τῆι μουσικῆι τῶν ἡδέων, τῆι δ' ἀρετῆι τὸ χαίρειν ὀρθῶς, καὶ φιλεῖν καὶ μισεῖν. id est, usu uenit, ut & musica, res iucunda sit, & uirtus in eo sit, ut recte laetemur, & amemus, & oderimus. Sed horum locorũ uterque in secundo ad Nicomachum apertissime exponitur hoc pacto: περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας πᾶσα ἡ πραγματεία καὶ τῆι ἀρετῆι καὶ τῆι πολιτικῆι. ὁ μὲν γὰρ δὶ τούτοις χρώμενος, ἀγαθὸς ἔσται. ὁ δὲ κακῶς, κακὸς. in uoluptatibus, inquit, & doloribus omne negotium est & uirtuti & ciuili scientiae. nam qui bene his utitur, bonus erit; qui male, malus. Atque haec est non proximi huius, sed superioris loci uerborum breuis explicatio. ex quibus sane ratiocinari hoc pacto licet: si modo licet idem docendi gratia, sine aurium offensa crebrius inculcare. Oratio & doctrina, qua uirtus simul & bonus uir efficitur, in auditores eos dumtaxat ualet, quorum ante animus consuetudine praecultus est, sic, ut & recte gaudeat, & recte oderit. omnes autẽ qui recte gaudent, & oderunt, una cum paedia, etiam moralem habent uirtutem, quapropter oratio & doctrina, qua cum uirtus tum uir bonus efficitur, ualet in eos auditores solummodo, quorum ante animus ita praecultus est consuetudine, ut & paedia sit & morali uirtute exornatus. Quid igitur cupientibus ciuilem scientiam consequi paedia prosit, quam in eius disciplinae auditoribus Aristoteles magistrum Platonem secutus desiderat, ex his quae dicta sunt hactenus, satis manifestum putamus. Cuius quidem rei latentes in occulto causas conati sumus, pro eo quãtum in nobis fuit, primi omnium eruere. Vtrum autem conata perfece-

perfecerimus nec ne, cognitis & perſpectis prius, quae ante ſcripta ſunt, prudentiores alij facile iudicabunt. Nunc autem noſtrae ſunt partes, ut Paediam animalium ad ſuperioris exemplum (etſi de ea quae dicamus, haud ita multa ex libris Ariſtotelis ſuppetunt) proxime perſequamur. ea uero, ſicuti ante dictum eſt, cõmunis multarum rerum non eſt, ſed generis unius propria & peculiaris. Ponit enim paediam in omni contemplatione Ariſtoteles, & hoc amplius, in omni etiam docendi uia ac ratione nobili ſimul atque ignobili. cum autem contemplatio & docendi uia, quaecumque una in re unoq. in genere uerſatur, alia ſit atq. alia, hanc ob cauſſam neceſſario efficitur, ut paedia minime ſit una, ſed uaria & multiformis, ad eius rei uarietatem diſtincta, in qua uelut in ſua materie docendi uiam ac rationem uerſari contigerit. talis eſt morum paedia, talis autem eſt animalium: nempe duorum generum, paedia duplex: ex ſcriptis Ariſtotelis utraque notiſſima. Plato autem, e quo haec quoque ſicut alia multa ſumpſiſſe Ariſtotelem cernimus, ad alias res paediam manifeſto traducit. eam enim in agricola, in ſtructore, in materiario, in bellatore, in argentario, in nauiculatore, in aliis praeterea compluribus, ut ſua ſit uniuſcuiuſque paedia, collocat. quorum quidem artificium ut eſt ſordidum atque illiberale, ſic eorum paediam ingenuo ac libero indignam putat, & a paediae nomine alienam omnino. illud addit, puerorum educationem, cum eorum tener animus ad uirtutem bonis moribus formatur, ſolam ex omnibus eſſe, quam ſeparatim ab alijs ita ſibi placeat appellare. quae res animaduerſa ab Ariſtotele fecit, opinor, ut iſtiuſmodi paediam per ſimilitudinem, cum ait, οἷον παιδείαν τινα, ueluti paediam quandam, oſtenderet. ex quo plane licet uideamus, paediam animalium, de qua dicturi ſumus, non proprie, ſed uerbo translaticio ſic nominari. gignitur autem in nobis paedia haec animalium, adiutore uel potius auctore ſenſu. Eſt enim paedia naturae animalis, idem quod experientia. haec porro eſt ex multis memorijs eiuſdē naturae animalis. at multae memoriae, ſunt multae ſpecies eiuſdem naturae animalis ſenſu perceptae. ex quo planum fit animalis naturae paediam ab ſenſu proficiſci. animal uero quoniam totum quoddam eſt, ex partibus ijs, in quas diuiditur, conſtat, & harum partium differentijs, in ſpecies mul-

tas

tas dispertitur. id quod ita se habere locus ex quarto De Repub. planissime confirmat. quem, etsi multum uerborum continet, tamen quia rem omnem ordine explicat, & paene oculis subijcit, ad utilitatem legentium, quam spectamus unam, adscribere totum minime grauabimur: ὥσπερ οὖν, inquit, εἰ ζώου προιρούμεθα λαβεῖν εἴδη, πρῶτον ἂν ἀποδιορίζοιμθ, ὅπερ ἀναγκαῖον πᾶν εἶχειν ζῶον. οἷον ἐνιάτε τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τὸ τῆς τροφῆς ἐργασικὸν, καὶ δεκτικὸν, οἷον στόμα καὶ κοιλίαν. πρὸς ὃ τούτοις, οἷς κινεῖται μορίοις ἕκασον αὐτῶν. εἰ δὴ τοσαῦτα εἴδη μόνον, τούτων δ' εἶεν διαφοραὶ, λέγω δ' οἷον στόματος τινὰ πλείω γένη καὶ κοιλίας, καὶ τῶν αἰσθητηρίων, ἔτι δὲ καὶ τῶν κινητικῶν μορίων, ὁ τῆς συζεύξεως τῆς τούτων ἀριθμὸς ἐξ ἀνάγκης ποιήσει πλείω γένη ζώων. οὐ γὰρ οἷόντε ταυτὸν ζῶον εἶχειν πλείους στόματος διαφορὰς, ὁμοίως δὲ οὐδ' ὦτων. ὥστ' ὅταν ληφθῶσι τούτων πάντης οἱ ἐνδεχόμενοι συνδυασμοὶ, ποιήσουσιν εἴδη ζώου. καὶ τοσαῦτ' εἴδ τοῦ ζώου, ὅσαπερ αἱ συζεύξεις τῶν ἀναγκαίων μορίων εἰσὶ. haec nos nostro more uerbū pro uerbo reddentes minerua pingui, ita expressimus. Quemadmodum igitur, si propositum habemus species animalis sumere, primo seiungimus illud ipsum quod omne animal necessario habet, ut & quaedam sensus instrumenta, & id quod cibum mandit, & recipit, ut os, & uentriculum, ad haec etiam particulas quibus eorum unumquodque mouetur. quod si sint partiū tot species solummodo, earumq. sint differentiae, hoc est oris plura quaedam genera, & uentriculi, & sensus instrumentorū, praetereaq. particularum quibus mouentur, coniunctionis numerus harum, animalium plura genera necessario efficit. neque enim potest idem animal habere plures oris differentias, similiter ut neque aurium. quapropter ubi sumptae fuerint omnes, quaecumque possunt esse, harum coniunctiones, efficient species animalis, & quidem tot species animalis, quot sunt partiū necessariarum coniunctiones. Sed haec eadem posterius dilucide magis patebunt. Quod autem dictum est, paediam naturae animalis multas habere species sensu perceptas, id manifeste indicat animalem naturam sentire saepius. rem uero eandem saepe sentire, est saepe idem facere, quod ipsum nihil aliud est, nisi cō suescere. quare animalium paediam, ex consuetudine quadam oriri haud dubie credi par est, eoq. magis quod Aristoteles, quamquam non ἔθους nomine, quomodo in morali uirtute, sed

σωηθείας locis aliquot istius meminit. De hominis enim partibus extimis, in primo de Historia Animalium scribit haec: τὰ μὲν οὖν μόρια, τὰ πρὸς τῳ ἔξω ὁπφάνειαν, τοῦτον τέτακται τὸν τρόπον, καθάπερ ἐλέχθη, διωνόμασαι τε μάλιστα, καὶ γνώριμα διὰ τῳ σωήθειαν ὅτι. partes enim inquit exteriores hoc pacto dispositae sunt. atque ut dictum est, & signatae nominibus maxime sunt, & cognitae ob consuetudinem. iam uero alibi, in eodem tamen opere, menses, qui in uaccis equabusq. per bimestre, & quadrimestre, & semestre etiam tempus a conceptu consistunt, nisi ab eo qui haec pecora diu sit sectatus, & cum eis multum consueuerit, posse cognosci negat his uerbis: ἀλλ' οὐ δυνατὸν γνῶναι μὴ παρεπομένῳ μηδὲ σωήθη σφόδρα. & de mutatione colorum in auibus, quae insolentem eius rei fallit: καὶ κατὰ τὰς ὥρας δέ, inquit, οἱ πολλοὶ τῶν ὀρνίθων μεταβάλλουσι τὰς χρόας. ὥστε λαθεῖν ἂν τὸν μὴ σωήθη. Ad haec de tumore & chartilagine quadam papillis mammarum suborientibus ita in sexto de Historia paullo post eum locum quem supra posui loquitur: οὐ μὴν ἀλλ' ἔργον μὴ σωήθη ὄντι καταμαθεῖν ταῦτα. Verum, inquit, difficile factu est insueto, ista pernoscere. comparat denique in extremo primi De partibus, corporum caelestium scientiam, cum animalium & stirpium scientia. & scilicet hāc illi praestare docet copia atque ubertate. addit causſam, quod & stirpes & animalia, propter consuetudinem, melius quam diuina illa cognoscamus. Scribit autem ut est in uetere libro his uerbis: περὶ ὧν τῶν φθαρτῶν φυτῶν τε καὶ ζώων διαπορουμεν μᾶλλον πρὸς τὴν γνῶσιν διὰ τὸ σώματος. nam uulgares libri ista quidem in particula mendum continent. quibus uocem φθαρτῶν, quae deperierat, exemplari antiquo adiuuante ipsi restituimus. Quod animalium paediam ab sensu ostendi principium ducere, sane in hoc similiter ut in alijs quoque Aristotelem prudēs sequor, quod illum animaduerti ita sentire. Genus enim duplex facit partium humani corporis: unum exterius in oculis conspectuq. expositum; interius alterum abditum penitus atque reconditum. ac prius quidem, necessario nobis esse dicit notissimum, quod exteriora sub sensum cadunt. itaque de eo scribit haec: ὁ δὲ ἄνθρωπος τῶν ζώων γνωριμώτατον ἡμῖν ἐξ ἀνάγκης ὅτι. τῇ μὲν οὖν αἰσθήσει οὐκ ἄδηλα τὰ μόρια. at homo inquit animalium nobis necessario notissimus est. partes quidem sensui sunt non ignotae. id quod de

exterio-

ex terioribus accipi oportere probat locus is qui ex interuallo sequitur ibidem in primo De Historia, hoc pacto conscriptus : φανερὰ μὲν οὖν ἐστὶ δόξειε τὰ ἔξωθεν ἢ τῶν αἰσθησιν : hoc est, partes exteriores, manifestae per sensum uideri possunt. ex quibus uel tincto me hercule litteris longe falli eos apparet, qui Aristotelem partes animalium (& exteriora anatome complectitur) alieno ex ore & ex auditis solummodo cognouisse prodiderunt. quod si damus, etiam quae notissima sunt ex aliorum sermonibus accepisse hominem summa sapientia fateri cogimur. quare fiet ut & manus & pedes cum alijs tum sibi fuisse, nisi doctus ab alijs scire non potuerit Aristoteles. nec locus quem proferunt magnopere illos adiuuat : quandoquidem firmiori alio redarguitur: ex quo Aristotelem partes animalium spectauisse ipsum per se se, non a narrantibus dumtaxat didicisse, quiuis unus facillime perspexerit. is enim ubi de osse cordis in secundo De Animalium partibus habetur sermo, in haec uerba plane perscriptus est : ὅτι ὃ ἀνόσεος πάντων [ἡ καρδία] ὅσα ἡμεῖς τεθεάμεθα, πλὴν τ' ἵππων καὶ γένους τινὸς βοῶν. est autem, inquit, sine osse omnium cor, quae cumque nos quoque uidimus, excepto equorum, & cuiusdam generis boum. QVAE cumque, inquit, nos quoque uidimus. quid haec sibi uolunt uerba ? an non apertissime ostendunt suis philosophum oculis interiora non semel inspexisse ? mihi quidem uidentur, credo item alijs. neque tamen is sum, qui Aristotelem ipsum uidisse omnia contendere audeam. ut enim quae erant in Graecia conspexerit, quanam ea ratione potuit, quae in terris erant ultimis, ut in Scythia, in Celtis, in India ? equidem sic sentio, multa illum de animalibus, partim ab alijs audita, partim ab se uisa, retulisse in commentarios, quorum tamen bona pars, quod antiquorum declarant monumenta, aliorum culpa, incommodo nostro certe, interijt. Sed hac super re nimis. De posteriore igitur partium humanarum genere nostrum officium est, ut agamus. id uero partes intus abstrusas & occultatas a natura continet. ignotas autem esse huius generis partes & nos uidemus ipsi, & Aristoteles eodem in opere, cum partes in summo corpore hominis ob consuetudinem maxime nosci dixisset, plane demonstrat, cum haec subijcit : τὰ δ' ἐντὸς τοῦ ναντίον. ἀγνωρισα γὰρ ὅτι μάλισα τὰ τ' ἀνθρώπων. interiores, inquit,

e contrario . hominis enim partes ignotae sunt maxime . Dupliciter autem ignota haec nota fieri statuit . similitudine primum: deinde oratione ac libris . similitudine , ut cum intima pars hominis ignotior , quo nobis innotescat , pecudis alicuius notae parti assimilatur . ita uētriculū hominis canino similē , & iecur & renes bubulis similes facit . recte ne an perperam assimilet , alia oratio est . certe mos hic ostendendi per similitudinem occultas partes illi est ualde usitatus . nec mirum : necessario enim ita sibi faciendum iudicat , cum proximis superioribus uerbis adiungat haec: ὥσε δεῖ πρὸς ἅπτ ἄλλων μόρια ζώων ἀνάλογίας σκοπεῖν οἷς ἔχει παραπλησίαν ἡ φύσιν . quapropter, inquit, referendo ad aliorum partes animalium , quae consimilem habent naturam , considerare oportet . Quid igitur est causſae, dicat aliquis, quamobrem oporteat & necesse sit hominum partes brutorum partibus comparare ? An ita faciendum quia docendi discendiq. ratio id flagitat ? ex ijs enim quae notiora sunt discenti doctrina omnis gignitur . discentibus autem brutorum partes multo quam humanae sunt notiores : si ad Aristotelis aetatem te referas praesertim, quo tempore humani corporis secandi facultas etiam si aliqua , at certe fuit infrequens , & ut notum est , uulgo inusitata . eius igitur rudis auditor & expers omnino , internas partes necessario ignorabat . contra brutorum partes norat, uel quod a pueris omnes rei diuinae intererant , ubi caesarum uictimarum uiscera , quae exta dicuntur , nemini non inspicere licuit : uel quia a lanijs emptas carnes domi per otium unusquisque poterat contemplari . libris notae fiunt partes animalium, cum earum formas uel oratione , uel lineamentis descriptas consideramus . hoc adiumento uti nos debere ait ipse , cum a masculo feminam nulla interiori parte nisi utero disterminat , cuius uteri quae sit figura, cognoscendum , inquit , est ex ea descriptione , quae est in Anatomis . graeca in extremo primo De Animalium Historia reperiuntur huiusmodi . τὸν αὐτὸν ὃ τρόπον καὶ ἐν τῇ θήλει πάντα πέφυκε . διαφέρει γὰρ οὐ δενὶ τῷ ἔστω, πλὴν τῇ ὑστέρᾳ . ὧν ἡ μὲν ὄψις θεωρεῖσθω ἐκ τῆς διαγραφῆς τῆς ἐν ταῖς ἀναλομαῖς . Extat & huic loco ualde consimilis alius in secundo De ortu animalium , quem hoc libentius recitabo , quod ex altero apte alter exponetur . est autem sermo de fetu animalium quae plura uno pariunt . δεῖ δ᾽ , inquit , ταῦτα

θεω-

θεωρεῖν, ἐκ τε τ παραδειγμάτων τῶν ἐν τ ἀνατομαῖς, καὶ τ ἐν τ ἱσορίαις γεγραμμένων. hoc est, cognoscere autem oportet haec ab exemplis, tum quae in Anatomis, tum quae in Historijs conscripta sunt. Quēamdmodū enim supra descriptionem ponit in Anatomis, cum ait: ἐκ τῆς διαγραφῆς τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς, sic propemodum in proximis superioribus uerbis in Anatomis, (hoc est enim ἐκ τ παραδειγμάτων τ ἐν ταῖς ἀνατομαῖς) locat, ut descriptio exemplis, & anatome anatomis, non absurde uoci relata uox respondeat. utroque autem in loco, non idem Anatome quod officium & administratio secandi corpora mortuorum ualere potest uideri, ea re, quod Aristoteles uolumina confecit (septem Diogenes, Aristotelis uita peruetus nondum etiam edita sex fuisse refert) quae ἀνατομῶν uel περὶ ἀνατομῶν inscriberentur. quibus praeterea ijdem auctores non dissimilis argumenti uolumen aliud hoc titulo praescriptum: ἐκλογὴ ἀνατομῶν, ipsum quoq. nihilominus ac superiores Aristotelis, addiderunt. De quo quin ita sic eo minus dubitandum, quod Apollonius in admirandis ab illo sumpta quaedam in suas historias transfert: cum ait, Ἀριστοτέλης δὲ ἐν ταῖς ἐκλογαῖς τ ἀνατομῶν φησὶν: cuius orationis auctoritas, si qua dubitatio residet, eam ex animo penitus omnem tollit. Quas ob res, cum libros Anatomon, id est, sectionum, Aristoteles conscripserit; cumq. eos libros, ab ijs qui sunt de animalium historia seiunxerit, atq. etiam ut diuersos cum ipse tum alij appellarint saepius, neq. Theodoro, neque alijs qui errantem illum sequuntur, credi consentaneum est, commentarios De Historia esse Anatomen Aristotelis affirmantibus. cui errato, utinam ne aliud, multo quam hoc turpius, affingerent. aiunt enim, qui primus anatomen scripserit, ex sententia Galeni Aristotelem exstitisse. quorum opinio quam uera sit, ipsi uiderint. sane ex prooemio secundi de consectione administranda satis constat Galenum narrare anatomicarum rerum commentarios principem omnium quoscumq. ipse nouerit, Dioclem Carystium posteris reliquisse: atque etiam in eo uolumine, quod de uteri sectione exstat, eundem memoriae prodere, paullo post Hippocratem, Carystium Dioclem floruisse: a cuius sententia Plinius ac Celsus non longe abierunt. quapropter cum longo interuallo Aristotelem Diocles aetate anteiuerit, ne is quidem esse Aristoteles potest,

qui

qui anatomas, ut Theodoro uidebatur, primus ſcriptis commendauerit. Sed hac de re plura in alijs. hoc quidem tempore nec nihil, nec omnia, perſequi oportuit. itaque redeo ad inſtitutum. Animalis igitur natura tota ex partibus conſtat; partes uero & earum diſcrimina, quoniam quidem ſenſu notae fiunt, iure dici poteſt uiſu & oculis praecipue, dein etiam tactu a nobis eas cognoſci. partium enim duo ſunt genera, ſimilare unum, diſſimilare alterum. ſimilaris differentiae, ſiccitas, humiditas, mollicies, duritia, laeuor, aſperitas, aliaq. id genus contraria. quae quoniam omnia tactu ſentimus, ideo neceſſe eſt, ſimilares partes & ſimul earum differentias tactiles, tangendi ſenſu percipi. Vtrique autem generi partium communis ea ratio: quod ſimilares, aeque ac diſſimilares, ex quibus conſtant animalia, ſunt corpora colorata. omne autem corpus colore praeditum uiſu atque oculis cognoſcitur. quam ob cauſſam loquendi genus illud, iam uiſum eſt, nondum etiam uiſum eſt, crebro uſurpat Ariſtoteles. quemadmodum in primo de Hiſtoria, de iecoris ac lienis commutatis ſedibus: ἤδη γὰρ ὤπαι μετηλλαχότα τὴν τάξιν. & in tertio eiuſdem, de uiri caluaria ſine ſuturis, ita ſcribit: ἤδη δὲ ὤφθη καὶ ἀνδρὸς κεφαλὴ οὐκ ἔχουσα ῥαφάς.. item in ſecundo ſunt haec: μώνυχον ὃ καὶ δίκερον οὐδὲν ἡμῖν ὤπαι: quae praeciſe uertit Plinius illis uerbis; ſolida ungula, & bicorne nullum; Denique in tertio De Hiſtoria, albas aues nequaquam nigreſcere ſcribit his uerbis: ἐκ δὲ τῶν λευκῶν γενῶν, inquit, οὐκ ὤπαι εἰς μέλαν μελάλλον. eodem modo alibi etiam ſaepius: quae quod opus non erat adſcribere, idcirco ea conſulto praetermiſi. atque haec quidem animalis naturae paediam certis ab ſenſibus naſci fidem faciunt. De fructu autem illius, idem quod antea de rerum ciuilium paedia, nobis dicendum eſt. Dupliciter enim prodeſt: quod hac inſtructi, ſcientiae animalium initia, tum ſimplicia tum compoſita, hoc eſt uniuerſalia ſimul & ex eis confectas propoſitiones cognoſcimus primo, deinde etiam aſſumimus atq. colligimus. quapropter iſta facultate praeditus, ex animalium partibus alias eſſe incompoſitas, quae ſimilares, alias ex his compoſitas, quae diſſimilares dicuntur, harumq. ipſarum, partim eſſe communes, partim uero proprias, quae aut eaedem, aut diuerſae ſint, ſpecie exſuperantia, proportione, ordine, ac poſitu-

ra

ra nouerit. cuncta haec igitur & id genus complura alia esse cognoscet. cur autem ita sit, hoc est, quid sit caussae, quamobrem animalia partes habeant similares aut dissimilares, ab explicatore caussarum physico doctus intelliget. haec omnia ad paediae naturam apte congruunt: propterea quod illa est experientia, quae rem esse scit quidem, sed cur ea sit, nescit, ut saepenumero dictum est. id uero quod modo posui, significari ab ipso arbitror, cum in libro de Gressu animalium inquit: ὅτι μὲν γὰρ οὕτω συμβαίνει, δῆλον ἐκ τῆς ἱστορίας τῆς φυσικῆς. διότι δ', νῦν λεκτέον. ita, inquit, contingere planum est ex historia physica; cur autem contingat, dicendum hoc tempore. hic ergo est animalium paediae, idest peritiae fructus prior. posterior autem est eiusdem scientiae principia colligere. quod quidem etiam exemplo recte fit. mathematicus enim idem in Astrologia obseruat: quod peritus Astrologiae, eius, quam Astrologiam Nauticam alibi appellat ipse, Astrologicae scientiae legit initia & in unum cogit. quae ratio & uia est artibus & scientijs omnibus communis, ut ante docui. Iure igitur in animalium scientia eundum ne sit hoc itinere, quaerit Aristoteles. Quaerendi caussam affert. quod physici superiores quid fieri oporteat incertum reliquerunt. dicit enim in primo De Partibus: νῦν γὰρ οὐ διώρισαι περὶ αὐτοῦ. οὐδέγε τὸ νῦν ῥηθησόμενον, οἷον πότερον καθάπερ οἱ μαθηματικοὶ τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν δεικνύουσιν, οὕτω δεῖ καὶ τὸν φυσικὸν τὰ φαινόμενα πρῶτον περὶ τὰ ζῷα θεωρήσαντα, καὶ τὰ μέρη τὰ περὶ ἕκαστον, ἔπειτ' οὕτω λέγειν τὸ διὰ τί καὶ τὰς αἰτίας, ἢ ἄλλως πῶς. quod est, Nunc enim hac de re nihil constitutum est. ac ne illud quidem quod dicam: utrum ne quemadmodum mathematici quae sunt in Astrologia demonstrant, ita quoque Physicus primo quae apparent in animalibus, quaeq. singulis partes insunt, perspicere, deinde eodem modo quid sit cur sint & caussas exponere, an uero secus facere debeat. Haec sunt illius uerba, haec est proposita quaestio. quam paullo post, cum solueret, imitandos Astrologos esse respondit, qui apparentium historiam a primo conficiunt, inde illorum caussas demonstrant. sic physicum decere, quae animalibus inesse cernuntur, legere in primis & componere, tum caussas singulorum deinceps explicare. quibus autem suam sententiam ostendit, sunt haec illius uerba: ἔοικε δ' ἐντεῦθεν ἀρκτέον εἶναι, καθάπερ καὶ πρότερον εἴπομεν.

ειπομεν. ὅτι πρῶτον λαμβάνειν ἐστὶ τὰ φαινόμενα ληπτέον περὶ ἕκαστον γένος. εἶτα ἀναζητεῖν τούτων τὰς αἰτίας. hinc autem, inquit, uidetur initium esse capiendum, ut & antea diximus, uidelicet, quae unoquoque in genere apparent sumi primo, post eorum causas reddi oportere. Haec autem non solum praecipit Aristoteles, uerumetiam quae uerbo praecipit, re praestat. actae rei locus ex primo De Historia, testis est certissimus: cuius uerba sicut adhuc feci, ut ad id quod tenebris inuolutum est illustris adhibeatur explicatio, subijciam. πρότον, inquit, τὰς ὑπαρχούσας διαφορὰς καὶ τὰ συμβεβηκότα πᾶσι λάβωμεν. μετὰ δὲ τοῦτο τὰς αἰτίας τούτων πειρατέον ἀνευρεῖν. οὕτω γὰρ κατὰ φύσιν ἂν ποιεῖσθαι τὴν μέθοδον, ὑπαρχούσης τῆς ἱστορίας περὶ ἕκαστον. περὶ ὧν τε γὰρ καὶ ἐξ ὧν εἶναι δεῖ τὴν ἀπόδειξιν, ἐκ τούτων γίνεσθαι φανερόν. & haec quoque sic uertimus, ut sit, primum differentias & accidentia, quae insunt omnibus, sumamus. deinceps autem horum causas iuuenire conandum est. tum enim docendi uia & ratio secundum naturam instituitur, cum uniuscuiusque rei exstat historia. ex his enim fit manifestum, de quibus simul & ex quibus demonstratio effici debeat. conuenire locum hunc recitatis antea duobus ex parte quadam, res indicat. bipartita certe habent omnes initia. principio etenim quae apparent in animalibus & simul eorum partes assumendas esse dicitur: secundo loco elaborandum, ut apparentium & partium ipsarum causae pro uiribus exponantur. haec quidem uterq. locus prior ex primo De partibus, complectitur. eadem etiam, uariatis uerbis paullulum, posterior hic ex primo De Historia iterat. nam & differentias & accidentia primo accipi; tum eorum causis inueniendis dari operam ait oportere. sane est trium horum locorum inter ipsos magna similitudo. Vnum illud, quantum uideo, mutant: quod & quae in animalibus apparent, & differentias illorum, & partes etiam distincte ponunt. Verum ita se res habet, ut animalium partes animalium sint differentiae. hae uero sensibus appareant, quod antea patefactum est. Quocirca post locum primi De Historia, quem supra posui e uestigio subsequitur hic: λοιπὸν δὲ πρῶτον τὰ μέρη τῶν ζώων ἐξ ὧν συνέστηκε. καὶ γὰρ ταῦτα μάλιστα καὶ πρῶτα διαφέρει καὶ τὰ ὅλα. in quo aperte admodum qua de re agitur proponit, eaq. statim approbat. sumenda primo sunt a nobis inquit, ea quibus maxime differunt animalia. quibus

bus autem animalia differunt maxime, ſunt partes ex quibus conſtant animalia. Itaque ſumi primo debent a nobis partes ex quibus conſtant animalia. porro autem ſicuti concluſum eſt, ita partes animalium magna cum cura pergit accipere. In quibus obſcurior quaeſtio exoritur. Differre animalia ſpecie, tradit Ariſtoteles, ſuis ipſorum partibus. atqui partes materia ſunt animalium. ita neceſſe eſt, ſua materie diſtingui inter ſe animalia & in ſpecies diduci. at id nullo modo poſſe fieri uidetur. neque enim ut ſpecie differat quidquam efficit materia, ut in extremo nono De Sapientia docemur. Diuus Thomas, quo nodum ſolueret, materiam duplicem conſtituit. unam quae ad formam pertinet, ut caro & oſſa abſolute. quod enim ſine carne & oſſibus exſtare forma & ſpecies hominis non poteſt, ea re caro & oſſa materies eſt, quae ad formam hominis pertinet. altera materies eſt ad formam minime pertinens, ut haec caro, haec oſſa; ſine quibus quoniam eſſe ſpecies & forma hominis poteſt, ideo ad formam nihil pertinent. ex diſtinctione materiae ad formam pertinentis, ut formae aliae ab alijs ſpecie differant, ait conſequi: ex diſtinctione uero materiae quae non ad formam pertinet, diſtingui ſpecie rem ullam negat. quae omnia ne non falso dicantur, ualde uereor. nam caro & os abſolute, ad ſpeciem ac formam hominis pertinent. eſt enim caro & os materia, ſine qua ſpecies hominis eſſe nequit. ergo ex carnis & oſſis diſtinctione, formae debet ſequi diſtinctio; quod quidē eriā ſine rōne ab illo cōceditur, ad uerbum ſcribente ſaepius: ad diſtinctionem materiae, quae ad ſpeciem pertineat, formam diſtingui. Dicamus igitur ſecundum huius rationem, ad carnis & oſſis diſtinctionem, hominis formam diſtingui: id quod perſpicue mendoſum eſt. Illud aeque dubiū quod ait; haec caro, hoc os, materia eſt; quae nō ad formā pertinet. cur autē nō pertineat? certe enim haec caro, hoc os, eſt materia. omnis autem materia ad aliquid, hoc eſt, ad formam aliquam refertur, ut in phyſicis perſcriptum eſt, τῶν πρός τι ἡ ὕλη, noſter inquit; ἄλλο γὰρ εἶδει, ἄλλη ὕλη, hoc eſt, materia eſt ad aliquid, etenim alij formae, alia materia eſt. quapropter etiam haec caro & hoc os ad formam pertinere neceſſarium eſt. at enim ſine hac carne & hoc oſſe forma & ſpecies eſſe poteſt. at enim ut eſt materia duplex, abſoluta, hoc eſt uniuerſalis, & ſingula-

ris, ita duplex est forma, singularis & absoluta. absoluta forma & uniuersalis sine hac carne & hoc osse, id est, sine materia singulari, esse potest. at haec forma singularis ueluti Socratis, sine hac carne & his singularibus ossibus, ut exstet, nullo modo fieri potest. praeterea, haec lingua, hic oculus, omnesque omnino singularis istius corporis partes, sunt instrumenta. omne instrumentum est gratia finis. itaque corporis huius singulae partes sunt propter finem, siue is est usus & officium, siue facultas, siue utrumque, anima uidelicet eiusque functiones. ex quibus apparet, hanc linguam & hunc oculum, quae materiae loco sunt partes singulares, ad speciem ac formam hominis pertinere, ob eam rem, quod species & singularis forma hominis sine sua materie, sine suis instrumentis, nec esse potest, nec fungi suo munere; quo rationis genere uno D. Thomas utebatur. Quod igitur ait, esse sine illo illisue non potest, hoc quidquid est causſae, in materia diuersi aliquid ac differentiae nihil ostendit: quandoquidem est communis condicio, qua probatur omnis materiae necessitas. in physicis enim ideo materiem esse necessariam docuit Aristoteles, quod sine sua materie forma exstare nequeat: idque cum in omni rerum quae gignuntur natura, tum uero etiam in artibus ualere. ex animalis autem partibus (de ijs enim erat sermo) necessarias esse alias magis, alias minus, eoque fieri ut ex ijsdem partibus alia magis, alia minus ad uitam pertineat, sane uerum est: sed hoc ad rem nostram nihil admodum interest. Quod antea reprehendimus, ex carne & osse formam distingui, id correctione adhibita licet defendi. Dixerit enim forsitan aliquis, ex carne atque osse, & ex materia omnino, tum sequi ut distinguatur forma, cum in materia fuerit quiddam, quo diuersa sit: ut ex diuersa materie, formam item distingui consequatur. ut ergo demus ita esse, ex eo tamen quaerendum, quid sit ea res, qua fit, ut materies diuersa sit: in ea enim aliquid inesse posuimus. est ne igitur accidens, an potius differentia, quae diuersam materiem efficiat? si est enim accidens non ex eo formae distinctio consequetur: quod homo niger & homo albus, corpore, id est materia sunt diuersa, specie tamen ac forma non diuersa. Sin in materie differentia sit eiusmodi, quae specie diuersum faciat, non

ex sola

ex sola materia sequetur formae distinctio, ut D. Thomae placuit, sed ex differentia quae forma erit in materia, quod illi minime placuit. Dum haec scrutamur, ad ueritatem prope accessimus: eaque manifestius aliquanto, quam adhuc factum sit, debet patefieri. partibus igitur & differentijs, ut saepe dictum est, ab Aristotele animal diuiditur. quod animal in species ab eo distributum uidemus, est τὸ σωλον, hoc est corpus ex materia & forma compositum. cum enim diuidendi hominis initium in primo De Historia faceret, ab ijs partibus exorsus est, in quas διαιρεῖσθαι, inquit, τὸ σῶμα τὸ σωλον, compositum corpus diuiditur. quamobrem animalis partes ac differentiae, ad totius exemplum cuius sunt partes, ut ex materia & forma constent, oportet. De quo si est, ut aliquis dubitet, lecto Aristotelis ex primo de partibus animalium loco, is opinor dubitare desinet. ille uero uerba haec habet: ἐστὶ δὲ ἡ διαφορὰ τὸ εἶδος ἐν τῇ ὕλῃ. οὔτε γὰρ ἄνδρι ὕλης οὐδὲν ζῴου μόριον, οὔτε μόνη ἡ ὕλη. οὐ γὰρ πάντως ἔχον σῶμα ἔσται ζῷον, οὐδὲ τῶν μορίων οὐδέν, ὥσπερ πολλαχοῦ εἴρηται. quae sic latine sonant: Differentia uero est forma in materia. nulla enim pars animalis est sine materia, neque est materia sola. neq. euim qualecumque corpus erit animal, neque pars ulla, ut saepe dictum est. Non igitur partes animalis materia sola sunt, neque uero ex materia sequitur formae distinctio, ut D. Thomae uidebatur. uerissime autem Aristoteles a materia specie diuersum non effici in nono De Sapientia docuit. Quocirca si differentiae partium animalis, diuersum specie faciunt, non id qua materiae sunt, sed qua formae in materia praestant. quod cum superior locus satis indicat; tum quae nunc dicam multo etiam magis aperient. Nam partes animalis, aliae sunt similares, dissimilares aliae. similares differunt, quod ex eis aliae sunt molles & humidae; aliae contra siccae ac solidae. humidae sunt uel oĩno, vel quãdiu naturã seruant, sanguis, sanies, adeps, medulla, semen, lac in ijs quae id habent, caro. ex similaribus uero siccae sunt ac solidae, os, spina, neruus, uena. haec fere sunt discrimina similarium. Dissimilares uero inter se duabus rebus distant; facultate simul & officio, quod operationem uocant. hoc modo nares, exempli gratia, ab oculis discernuntur. naribus enim odorandi, oculis autem uidendi facultas inest: quibus ab

alteris alterae differunt. eadē ratione animaliū partes, quaſcunq. genus hoc amplectitur, ab alijs alias diſcriminat Ariſtoteles. quod & alibi fecit, & in primo de ortu animalium praecipue, in quo diſſimilarium ac ſimilarium differentias paucis quidem, ſed aperteta men ita exprimit: τὰ μέρη τὰ μὲν δυνάμει, τὰ δὲ πάθεσι διώρισαι. τὰ μὲν ἀνομοιομερῆ, τῷ δύνασθαί τι ποιεῖν; οἷον γλῶττα, καὶ χεὶρ. τὰ δὲ ὁμοιομερῆ σκληρότητι καὶ μαλακότητι, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις πάθεσιν. partes, inquit, aliae facultate, aliae affectibus diſcretae ſunt. Diſſimilares, quod agendi aliquid facultatem habent, ut lingua, & manus. ſimilares duritia & mollitudine, & alijs eiuſmodi affectibus. ergo lingua eſt a manu alia, quod haec guſtandi, illa tangendi facultatem obtinet. pedes quoque & crura, & femora, proferre paſſus poſſunt, atque ingredi, qua facultate & officio a ceteris partibus eiuſmodi ſegregantur. ex quibus facultate & officio diſſimilares inter ſe diſiungi, ut initio propoſui, planum eſt. Vtriuſque autem generis differentias partium, formas eſſe, quae ſint in ſubiecta materie, quod Ariſtoteli uidebatur, fidem facit non longa oratio. nam ſimilarium differentiae, ſunt, humiditas, ſiccitas, mollicies, duritia, laeuor, aſperitas, & id genus contrariae qualitates. omnia uero haec, non modo ut qualitates, uerum etiam, ut contraria, materiae ſubiectae inſunt. Diſſimilarium autem facultates & officia, ad animae partes eiuſq. operationes pertinēt. ut oculorum, narium, linguae, manuum, harumque partium uidendi, adorandi, guſtandi, tangendi facultas, ad ſenſum, & eius uſum quem ſentire dicimus. eodem modo, pedum & crurum facultas ingrediendi, animae pars eſt, illa, quae ut loco moueamur, praeſtat. itaque cum omnis diſſimilarium facultas, animae ſit pars quaedā: omnis aūt animae pars atq. adeo ipſa anima, corpori phyſico organico quod illi pro materie ſubijcitur, inhaereat: ut in tali corpore ac materia oīs diſſimilarium facultas reponenda ſit, effici neceſſarium eſt. Nec illud dubium eſt, quin iſtarum quoque uel facultatum uel animae partium officia & operationes, ſint in corporis phyſici organici partibus, quae ipſae ſunt materies ſimul & inſtrumenta. nam & uidere eſt in oculis: & in naribus odorari: & guſtare in lingua: & in pedibus ac cruribus proferre paſſus atque ingredi. quapropter facultates ſimul

mul & officia dissimilarium, esse in aliqua materie subiecta concludendum est. Iam igitur perspicue apparet, partes, quibus ad dispertiendum animal in species utimur, non esse materiam solummodo, & simul intelligi licet, non ex materia formam solam, sed ex forma coniuncta materiae eiusdemmodi formam in materia diuidi. quam ob caussam sine sua quaeq. forma esse pars nequit: ut sanguis ab sua humiditate seiunctus, & caro sine siccitate & humiditate, alijsq. istiusmodi qualitatibus. significat hoc locus primi de ortu animalium, in quo ita scriptum est: οὐ πάντως οὖν ἔχον αἷμα, οὐδὲ σάρξ. quod idem tum de dissimilaribus singulis separatim, tum coniuncte de omnibus existimare oportet. neque enim digitus & manus, quae suum officium facere non possit, digitus & manus uere dicitur; quemadmodum in sexto De Sapientia scribitur: οὐ γὰρ ὁ πάντως ἔχων, δάκτυλος τοῦ ζώου; ἀλλ' ὁμωνύμως ὁ τεθνεώς. nec enim, inquit, qualiscumq. digitus, animalis digitus est, nisi aequiuoce. atque etiam ibidem paullo post hoc modo: οὐ γὰρ πάντως τοῦ ἀνθρώπου μέρος ἡ χεὶρ, ἀλλ' ἡ δυναμένη τὸ ἔργον ἀποτελεῖν. ὥστε ἔμψυχος οὖσα, μὴ ἔμψυχος δὲ, οὐ μέρος: quod est, Non enim modis omnibus hominis pars est manus: sed quae potest officium facere. quamobrem animata, non exanimis, pars est. haec de partibus sigillatim, de toto autem corpore in primo De animalium partibus illa sunt: οὐ γὰρ πάντως ἔχον σῶμα, ἔσται ζῷον, οὐδὲ τῶν μορίων οὐδέν, ὥσπερ πολλάκις εἴρηται: id est, neque cuiusque modi corpus, erit animal, nec ulla ex partibus, ut saepe dictum est. Ex eadem caussa fit, ut partes animalis non sine suo quaeq. officio & sua facultate, earum scilicet essentia, definiantur. nam in eodem sexto De Sapientia de partibus animalis ita plane scriptum est: ἑκάστου γοῦν [ζώου] τὸ μέρος ἐὰν ὁρίζηται καλῶς, οὐκ ἄνευ τοῦ ἔργου ὁρισθήσεται, ὃ οὐκ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως. quae hoc modo conuertas: sane animalis cuiusque pars, si recte definiatur, non sine officio definietur, quod sine sensu non exstabit. sub initium quoq. primi De Republica, de hominis pede ac manu cum loqueretur, omnes omnium partes animalium complexus uniuerse, ista subiecit: πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισαι, καὶ τῇ δυνάμει. ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα, οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ' ὁμώνυμα: id est, omnes autem partes officio discretae sunt ac facultate. quamobrem cum non amplius tales sunt, non easdem esse dicendum,

dum nisi aequiuoce. Tota res autem in Meteorologicis pluribus & illustrioribus uerbis explicatur. nam in eius operis extremo fons est, e quo rerum talium cupidi abunde sitim expleant. Haec erant de partibus animalis pro re ac tempore, quae dicerem. ad eas uero, quoniam quidem substantiae sunt, ut accommodetur apte demonstratio, quae tantum ad accidentia creditur pertinere, alibi alias agetur. Nunc unde digressa est, eodem nostra pedem referat oratio. Fructus igitur, quem animalis paedia fert, est duplex, de quo praeposterе dicam iterum, ac breui, ut iam tandem susceptа disputatio terminetur. Vnus est, legere ac sumere partes animalis & earum discrimina. Alter easdem res assidua exercitatione & diuturno usu cognoscere. quare paedia praeditus, animalia partes habere similares alias, quae aut humidae sint & molles, aut siccae ac durae, alias dissimilares, quarum quod sit uniuscuiusq. officium, quae facultas tenebit. Hoc pacto autem aliquid scire, est τὸ ὅτι, id est rem esse cognoscere. quemadmodũ enim, si quis noscat Lunam deficere, ignoret autem quid sit caussa cur deficiat; ita qui scit animalia partes habere similares, is tẽ esse & τὸ ὅτι tantum cognoscit, propterea quod quid caussae sit, quamobrem aut Luna deficiat, aut partes habeant similares animalia, nondum etiam nouit. Ad haec paedia praeditus ex similaribus constare dissimilares notum habebit, ob eamq. rem antecedere similares, & naturae ordine priores esse dissimilaribus, facillime intelliget. quapropter cum physicum caussas docentem similarium prius quam dissimilarium audiet, & ordinem institutum probabit, & una quae ab illo dicentur, quia praenouit, non obscure peruidebit. Itaque ideo sibi scientiam efficiet, atque ex perito rerum naturalium, physicus euadet. Quid igitur Paedia sit, quas habeat partes, quamque utilitatem praebeat, tum scientijs omnibus uniuerse, tum ciuili ac Physicae priuatim dictum est. ex quibus praeterea, non fuisse conscriptos ab Aristotele propter Paediam libros Exotericos abunde liquet. Erat haec recens opinio de duabus prior, quae refelli debebant. quare cum posterior ex ijs restet, hinc eam excutere incipiam. HAEC igitur librorum genus duplex ponit. quam ob caussam autem sit duplex, sane in eo multum uariat. principio enim, ut idem sit, Acroamaticum, & Autoprosopum genus coniungit; tum, quod idem

quoque

quoque esse uult, Exotericum ac Dialogicum addit: in quo cum antiquis omni ex parte conuenit. Cur autem sint duo genera, causſam itidem affert duplicem: quarum una est, ratiocinatio; altera uero imitatio. Vtramque harum causſarum, ex Simplicij, atque Hammonij commentario ad Categorias petitam refert: id quod ita ne sit an secus, ex uerbis ipsorum seperatim uideamus. Ac Simplicius, ut a posteriore ordiar prius, quo loco demonstraui, Syntagmaticos Aristotelis libros, quibus Dialogici simul & Autoprosopi continentur, paucis omnino uerbis, sed ita summatim partitur: τῶν δὲ συνταγματικῶν, τὰ μὲν εἰσι διαλογικά, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα. Ex syntagmaticis, alij, inquit, sunt Dialogici, alij uero Autoprosopi. nec praeterea quidquam adiungit, tantū deinceps, Autoprosopos in tria genera distribuit quae uero causſa mouerit Aristotelem, ut Dialogicos aut Autoprosopos conscriberet, prorsus nihil dicit. De imitatione, ac ratiocinatione, littera aeque nulla est. quae cum ita sint, non hoc dicere Simplicium, imitationem & ratiocinationem causſas fuisse Aristoteli quamobrem Dialogicos & Autoprosopos conficeret, aperte intelligitur. atque hic quidem ex Categorijs Simplicij locus. est & alter in prooemij extrema parte, quod commentario ad Acroasim physicam Simplicius idem praescripsit. fit in eo de Exotericis ac Dialogicis, fit etiam de Acroamaticis, hoc est Autoprosopis, mentio: quod genus utrumq. sic disiungi uult ab altero alterum, ut hoc non accuratissime, illud autem conscriptum fuerit obscurius. Ex quibus apparet, imitationem & ratiocinationem, eum silentio praeterire. De his ergo uerbum nullum Simplicius. ne Hammonius quidem, qui rem omnem fusius & illustrius explicuit. Nam generis huius librorum duplicis, quattuor fecit nomina, ut bina utriq. generi imponantur, uni Autoprosopo & Acroamatico, alteri Dialogico & Exoterico. Cur autem ita nominentur, suam cuiusq. reddit causſam. Dicit enim Autoprosopum genus ob eā rem uocari, quod in eo Aristoteles ipse, ex sua persona doceat: Acroamaticum uero, quia sermonem cum auditoribus suis & ueris & iustis habeat. E contrario Dialogicum, propterea quod non ex sua persona loquatur: & Exotericum, quoniam ad multitudinis scribat utilitatem. haec fere Hammonius. roget quis, unde nā ab hoc auctore, cum hic nulla sit, imitatio & ratiocinatio? dicam proxime.

proxime. Dialogicum genus librorum esse aiebat Hammonius, in quo Aristoteles non ex sua persona loqueretur. quale esset hoc, si qui forte parum uiderent, consimili re, sed nota & manifesta, ei libitum est illustrare. Ergo Dialogicum genus Aristotelis, Platonis libris qui sunt notissimi, assimilauit: ut quemadmodum Plato, sic etiam Aristoteles in dialogico genere, personas ageret aliorum. nam certe de Dialogicis scribit haec, ὥσπερ ὁ πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, quod perinde est ac si dicat, in Dialogicis Aristoteles, consimiliter ut Plato personas egit aliorum. itaque Plato & Aristoteles, si est ut Hammonio credi possit, hoc ipso sunt inter se similes, quod ambo in Dialogis, alienas personas agunt. hic obijci non ignoro, qui alienam personam agat, eũ necessario imitari. sed hoc qualecumq. est, si ut ex Hammonij sententia, de qua nunc quaerimus, opponitur; id paruo labore redargui licet: quo modo enim ille scribit, profecto de imitatione nihil ne somniasse quidem uidetur. Sin ad eius uerba hoc quoq. alij de suo addunt, nostrum officium iam erit deinceps, uera sit nec ne sumptio, quae non sine caussa tamen ponitur, considerare. Considerandi autem initium sit huiusmodi. Videtur alienã personam quicumq. agit, necessario imitari. nam is, alienum sermonem simulat, & fingit. Omnis autem qui sermonem alienũ confingit, necessario imitatur. in qua ratione ut alia omnia uera sint, id quod in extremo posui, certe non est. falso enim dicitur, necessario imitari eos omnes, qui sermonem fingunt alienum. sunt enim contra nonnulli, qui sermones hominum assimulent sine ulla imitatione: id quod uel eiusdem exempli commemoratione, quo utuntur ipsi, planum fieri potest. in eo autem haec erant. Venit Chryses Apollinis sacerdos ad exercitum Graecorum, qui Agamemnone & Menelao ducibus Troiam circumsidebat. ueniendi caussa fuit captiuae filiae redemptio: propter quã & multa eaq. pulcherrima & eximia dona attulerat. hic ille orabat supplex duces ipsos simul & Graecos milites, qui aderant, ut acceptis muneribus sibi filiam redderent. Sacri sacerdotis orationem, milites cuncti approbant: at Dux iratus sacerdotem iubet e castris excedere; si diutius in eis moretur, aut ad ea iterum redeat, minatur extrema. silentio egressus e castris senex perterritus minis; Apollinem lacrymans precatur ut de Graecis, poenam lacry-

mis

mis ſuis debitam ſumat. res geſta ſic eſt. narrat eam Homerus in initio Iliadis. narrat etiam Plato, in tertio Politiae. eorũ uterque perſonis Chryſae, militum, Agamemnonis, ſermones aptos confingit. Sed eſt Homeri narratio cum imitatione, Platonis contra nulla cum imitatione ſimplex. Quam ob diſſimilitudinẽ & diſtantiam narrationum, haud ab re quaeri poſſit, cum apud utrumq. horum auctorum, res geſta ſit eadem, eaedem perſonae, poſtulata & reſponſa eadem, quid ſit quod cum imitatione narret ex his alter, alter autem ſine imitatione. Ac ſunt qui nunc hic Platonem non imitari dicant, ea re, quod is dum narrat, Chryſis & Agamemnonis, hoc eſt, perſonarum ſententiã potius, quam uerba exponat. atqui hoc ſi uerum eſt; non probandus Ariſtoteles in primo De Poetica, (primum enim in cõmentario ſexti ad Nicomachũ uocat Euſtratius) qui tragicos poetas doceat, etiam ſententias imitari perſonarum. quibus autem uerbis Chryſes & Agamemnon inter ſe egerint, (nec enim eos uel Platonis oratione, uel Homeri uerſibus uſos fuiſſe credi derim) niſi qui ſermonibus illorum praeſens interfuerit, nemo ut opinor pro certo teſtificari poteſt. Quod addunt, hoc quidquid eſt cauſſae, id ex Platonis auctoritate dici, nuſquam nos quidem tale aliquid ab illo ſcriptum reperiebamus. itaque doctos homines dubia opinione magis, quam re uera duci ſuſpicabamur. ac de cauſſa, quamobrem ex Platone recitata narratio imitatione careat, non debet ambigi: cum illam apertiſſime nobis, ante expoſitionem ſermonis inter Chryſem & Agamemnonem habiti declaret ipſe. Dicit enim proxime ſupra locum, in quo ſine imitatione rem geſtam enarrat, hoc modo. εἰ δέγε μηδαμοῦ ἑαυτὸν ἀποκρύπτοιτο ὁ ποιητὴς πᾶσα ἂν αὐτῷ ἄνευ μιμήσεως ἡ ποίησις τε καὶ ἡ διήγησις γεγονυῖα εἴη. ἵνα δὲ μὴ εἴπῃς ὅτι οὐκ αὖ μανθάνεις, ὅπως ἂν τοῦτο γένοιτο, ἐγὼ φράσω. ἐπεὶ γὰρ ὅμηρος εἰπὼν ὅτι ἦλθεν ὁ χρύσης τῆς τε θυγατρὸς λύτρα φέρων, καὶ ἱκέτης τῶν ἀχαιῶν, μάλιστα δὲ τῶν βασιλέων, μετὰ τοῦτο μὴ ὡς χρήσης γενόμενος ἔλεγεν, ἀλλ' ἔτι ὡς ὅμηρος οἶδ' ὅτι οὐκ ἂν μίμησις ἦν, ἀλλ' ἁπλῆ διήγησις. quod ſi, inquit, nuſquam ſe occultet poeta, omnis ei ſine imitatione poeſis ſimul & narratio facta erit. Ne autem dicas iterum te non intelligere, quemadmodum hoc fiat, ipſe exponam. Nam ſi Homerus cum dixiſſet, Chryſem ueniſſe, & ferentem dona ad redi-

mendam filiam, & graecis ſupplicem, praecipue autem regibus, poſt haec non tamquam Chryſes factus, ſed etiam tunc ueluti Homerus feciſſet uerba, ſcias non hanc imitationem, ſed ſimplicem narrationem fuiſſe. Ex his igitur uarietatis eius, quam propoſui, cũ cauſſa maxime elucet. Nã Plato ſermones Chryſae & Agamemnonis, ſic narrat ut ſe ſe non caelet. Eſt autem totum hoc, cum & ipſum illum, qui rem geſtam narrat, loqui, tum & eundem dicendo non conari animum & cogitationem auditoris alio auertere, tamquam ſi quis alius, non ipſe, uerba faciat. hanc ob cauſſam qui iſto modo narrant omnes, nedum Plato, ſine imitatione narrant. at Homerus contra, eoſdem Chryſae & Agamemnonis ſermones ita narrat, ut ſemetipſum occultet. ſic enim loquitur, quaſi ſit aliquis alius, non is qui narrat. nam certe collocutionem Chryſae & Agamemnonis, non ut Homerus ac poeta, ſed tãquam ſit alius exponit, nempe ita ut ſi Chryſes cum Agamemnone, praeſens cum praeſente coram loqueretur. Quare ſi Platonem, in cuius ſententia praecipue acquieſcunt, ſequi lubet; ſtatuendum eſt, poetam ipſum uſquequaque loqui, uerum alias alio modo. interdum enim ita, ut ſe ſe loqui oſtendat; ut apud nos Virgilius, Arma uirumq. cano. nonnumquam autem, proinde ac ſi alius non ipſe ſit, qui loquatur; ut cum idem ait, Me ne incepto deſiſtere uictam? & modum priorem, ſine imitatione; poſteriorem uero eſſe cum imitatione. Quod idem & de Poeſi, & de fabula exiſtimari debet uniuerſe; ut harum utriuſque alia ſit tota cum imitatione, ut Tragoedia & Comoedia; alia ſine imitatione, cum uidelicet poeta ipſe rem exponit, ut olim dithyrambi; alia deniq. ex utroq. genere temperata, ut Ilias, & Aeneis. atque hoc Platonem uoluiſſe, cui aſſentiuntur prae ceteris maxime, ex tertio Politiae clauſula docet, in qua ſic eſt, τῆς ποιήσεως τε καὶ μυθολογίας, ἡ μὲν δι᾽ μιμήσεως ὅλη ἔξιν, ὥσπερ σὺ λέγεις τραγῳδία τε καὶ κωμῳδία. ἡ δὲ δι᾽ ἀπαγγελείας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ. εὕροις δ᾽ ἂν αὐτὴν μάλιστα που ἐν διθυράμβοις. ἡ δ᾽ αὖ δι᾽ ἀμφοτέρων, ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἄλλοθι, εἴμοι μανθάνεις. Poeſis, inquit, ac fabula, alia eſt per imitationem tota, ut tu dicis Tragoedia & Comoedia. alia uero per expoſitionẽ poetae ipſius: quam in dithyrambis maxime inuenias. alia demum per haec utraq. cum in poeſi Epica, tum multis locis alibi,

ſi quid

si quid me intelligis. Quae autem hic secundo loco ponitur poesis, & fabula, in qua ipse rem poeta exponit, ea est, in qua ipsius nulla est occultatio, nec poeta seu fabulator mentem auditoris alio conuertit, nec fit alius, nec tamquam sit alius loquitur, sed ipse se ostendens uelut in conspectu, simul & uerba & uersus facit. Huiusmodi uero poesis, & fabula omnis imitatione caret. Cum autem omnis fabula etiam confictum aliquem habeat sermonem, ex hoc plane sequi necesse est, sermonem fictum aliquem, nudum ab imitatione inueniri. Falsum igitur, qui sermones fingunt, eos omnes necessario imitari. falsum itē, ex eo quod inferunt, quicunque personam alienam agat necessario imitari. quod quidem usq. eo illis arridet, ut Dialogum genere imitationis contineri, pro certo affirment. quae sententia, longe a uero aliena est. Dant enim Dialogum esse interrogationem & responsionem: harum autem utraq. est oratio; quae uox est significabilis. Dicat quis, opinor, oratione ac uoce homines imitari. ex quo Dialogum, esse imitationem. fabulae. consimili enim ratione, color dici possit imitatio; quod is qui pingit, multa coloribus imitetur. Verum imitari aliud est, aliud quo quis imitatur: ut in primo de poetarum arte Aristoteles tradidit. Imitatio igitur, quo in loco apud Hammonium delitescere adhuc demonstraui. Nunc de ratiocinatione, quam alterius generis librorum ex eodem caussam putant, ut breui dicam, res admonet. nam duo haec scriptorum genera, discrimine in primis duplici, ait distingui Hammonius: quod in eorum altero sunt ratiocinationes certissimae, quas multitudo intelligentia nequit assequi: in altero autem contra, sunt ratiocinationes simpliciores, quas intelligere potest multitudo. & is quidem Autoprosopa, librorum genus alterum uidelicet, fuisse conscripta inquit, δι' ὀπχειρημάτων ἀκριβεςάτων, καὶ οἷς οὐχ οἷοιτε εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθῆσαι, hoc est, ratiocinationibus certissimis, & quas non potest multitudo assequi: Dialogica uero, quod est genus alterum, οὐ δι' ἀποδεικτικῶν ὀπχειρημάτων, ἀλλὰ δι' ἁπλουςέρων, καὶ οἷς οἷοιτε εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθεῖν, quod est, non demonstratiuis ratiocinationibus, sed simplicioribus, & quas potest multitudo assequi. Ex quibus satis constat Hammonium, quem sequuntur ducem, cum utroque genere librorum, ratiocinationē

communicare. quod cum ita ſit, non uere poteſt ex illius ſententia ratiocinatio, alteri generi librorum pro cauſſa proprie aſſignari. Nam ratiocinatio duobus generibus librorum communis cauſſa eſt, ut docui. communis autem cauſſa duobus generibus librorum, ut unius generis tantum praecipua ſit & propria, non pote fieri. Qua propter ſi cum Hammonio facere cordi eſt, ſingulis generibus librorum, ratiocinationis ſpecies ſingulas, ſuam cuique, debent tribuere. dent igitur Autoproſopis Hammonij certiſſimam rationem, quae demonſtratio; Dialogicis uero ſimpliciorem illam, quae ab Ariſtotele ſyllogiſmus Dialecticus dicitur. reſpondebunt, opinor, ſe hoc praeſtitiſſe. bene mehercule. ſed in cauſſarum numero, propter quas fit, ut duo diuerſa ſint librorum genera, has quoque reponi oportet. at hoc ſi faciant; cauſſarum numerus, quem edunt, uariabitur, nec conueniet. nam duae ſunt cauſſae, quomodo quidem ſcribunt; una, imitatio; ratiocinatio, altera. his autem additis, tres erunt, pro duabus: imitatio; & demonſtratio; & ſyllogiſmus dialecticus. Vt autem utriuſq. generis librorum duas eſſe cauſſas obtineant, etiam hoc ſibi pergunt ſumere: omnia ueterum ſcripta, eſſe aut ſimplices expoſitiones, aut imitationes quaſdã. quod, quamquam ſine ulla comprobatione ab eis ponitur, totũ a Platone tamen eſt ex tertio Politiae. in quo cum uerba pro uerbis alia atq. alia ſuo arbitratu ſubſtituerint, ex eo factum eſt, ut aliud illi, aliud Plato ſenſiſſe uideantur. quam rem ita ſe habere ut oſtendam, a Platone, cuius ſententia praecipue ſpectanda eſt, ſermonis noſtri ducam initium. Nam is, ubi demonſtraui paullo antea, ſcripturus de oratione, fabulis & poetis accommodata, quod quidem bonus auctor tradit Hammonius, ab iſtiuſmodi uerbis exorditur: ἆρ οὐ πάντα ὅσα ὑπὸ μυθολόγων ἢ ποιητῶν λέγεται διήγησις οὖσα τυγχάνει ἢ γεγονότων ἢ ὄντων ἢ μελλόντων; τί γάρ ἔφη ἄλλο. ἆρα οὐχὶ ἤτοι ἁπλῇ διηγήσει, ἢ διὰ μιμήσεως γιγνομένῃ, ἢ δι' ἀμφοτέρων περαίνουσι. Quod eſt, Nonne omne, quodcũq. dicitur a fabulatore aut poeta, eſt narratio aut praeteritorũ, aut praeſentiũ, aut futurorũ? nã quid eſt, inquit, aliud. Non ne aut ſimplici narratione, aut cum imitatione, aut per utramque rem conficiunt? age nunc ex interpretum conſuetudine ſingula conſideremus. ἆρ' οὐ. Non ne. interrogandi coniunctio, quam in Topicis libro primo

primo ante propositionem Aristoteles poni oportere praecipit. πάντα. omne. ostendit se de omni fabulatorum & poetarum oratione uniuerse uerba facere. adiungit ergo declarandi causa, ὅσα quodcumque, λέγεται ὑπὸ μυθολόγων ἢ ποιητῶν, dicitur a fabulatoribus & poetis. quod totum pariter ualet, ac si sit, πᾶσα λέξις, ἢ πᾶς λόγος μυθολόγου καὶ ποιητοῦ, omnis dictio & oratio fabulatoris ac poetae: hanc tamen collocationem paullo post immutat, praeferens poetam fabulatori. ait enim, ὅτι τῆς ποιήσεως τε καὶ μυθολογίας ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστίν. quae transiectio partium, suspicionem affert nobis, existimasse illum, has uoces inter se reciprocare: ut fabulator idem sit poeta; uicissimq. poeta aeque sit fabulator. quomodocumque se res habeat, certe a poeta fabulas confingi necessario, si quidem sit poeta, tradit in Phaedone scribens haec: τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. dicit poetam oportere, si modo poeta futurus sit, facere fabulas, non autem sermones. quem Proclus locum exponens, πάντως γάρ, inquit, τὸ μυθολογικὸν καὶ πλάττων ἀποδίδωσι τοῖς ποιηταῖς. τὸν γὰρ ποιητὴν φησὶν, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, χρὴ ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. hoc est, Omnino enim fingendi fabulas facultatem etiam Plato poetis tribuit. poetam enim dicit, si modo poeta futurus est, oportet facere fabulas non sermones. atque hanc magistri sententiam uidetur in primo de Poetica approbare Aristoteles, cum scribit: τὸν ποιητὴν μᾶλλον δεῖ μύθων εἶναι ποιητὴν, ἢ δὶ μέτρων: quod est, poetam magis oportet fabularum esse effectorem, quam uersuum. διήγησις οὖσα τυγχάνει, ἢ γεγονότων, ἢ ὄντων, ἢ μελλόντων. Narratio est, aut praeteritorum, aut praesentium, aut futurorum. dictionem siue orationem poeticam omnem, narratione, quae genus quoddam orationis est, uult contineri: cum uero genus, quid sit illud de quo dicitur, praecipue ostendat, quid sit autem rei est essentia, iccirco poeticae orationis essentiam maxime ostendit narratio. commode igitur & e re ipsa respondetur, τί γὰρ ἄλλο; quid enim sit aliud? quasi si is, qui cum habetur sermo, quid esset oratio poetica prior interrogauerit. διήγησις τυγχάνει οὖσα δὶ μελλόντων. Narratio est futurorum. dissentit cum Platone Aristoteles tota sententia quam maxime. hic enim esse aliquam narrationem rerum futurarum putat; ille contra, nullam. apud eum enim est

in tertio

in tertio de Rhetorica hoc modo : περὶ τῶν μελλόντων οὐθεὶς διηγεῖται. nullus, inquit, de rebus futuris narrat. qua ratione uero tolli possit tanta inter utrumq. repugnantia, alibi considerandũ est. ἆρα οὐχὶ ἤτοι ἁπλῇ διηγήσει. Non ne aut simplici narratione? Haec altera est interrogatio loci huius: in qua narratio, ut genus quoddam, tribus differentijs diuiditur. quibus poetarum omnis oratio in totidem species a Platone dispertita est. Ex utraque autem interrogatione, duas propositiones sumi licet. ex superiore unam, Omnis fabulatorum & poetarum oratio, narratio est. Ex posteriore alteram, Omnis narratio est aut simplex, aut cum imitatione, aut partim simplex, partim cum imitatione. Ex quibus simul iunctis oportet confici, ut omnis fabulatorum & poetarum oratio, sit item aut simplex, aut cum imitatione, aut partim simplex, partim cum imitatione. Simplex, ut in dithyrambis. cum imitatione, ut in Tragoedia & Comedia. partim simplex partim cum imitatione, ut in Aeneide, Odyssea, Iliade, unoq. uerbo, in Epicis omnibus. Haec Platonis quidem est conclusio. quam, ut dictum est, propositionis loco sibi sumũt illi, qui aiunt, Omnia ueterum scripta, aut per narrationem simplicem, aut per imitationem esse confecta. quorum uerborum, quae sit uis, qui ue sensus, ea si cum Platonis superiore proxima complexione contuleris, facillime intelliges. nam alia pro alijs poni, quae non idem ualeant, comperies. alia praetermitti. alia assumi quidem, uerum ijs quae dicunt minime consentanea. quas ob res id quod est apud Platonem uerum, istuc idem ex uero in falsum opera & ingenium istorum commutauit. nam quod ait Plato, omnis poetae ac fabulatoris oratio, pro eo hi, omnia ueterum scripta, supponunt: quod non est illi uirtute par & aequale. Latius enim patet hoc, & multo plura quã illud complectitur. non solum enim fabulatores & poetas, sed oratores & historicos praeterea, itemq. Theologicos, physicos, & Politicos philosophos, Geometras etiam atq. Arithmeticos, & Astrologos, antiquorum scriptorum appellatio comprehendit: quos poetae ac fabulatoris oratio nequaquam continet. quo fit, ut horum alterum magis, alterum minus sit generale. Ad haec, de tribus differentijs praetermittunt unam; duas solummodo retinent. Ex narrationibus enim, eam quae simplex

partim

partim est, partim cum imitatione, abiudicant: tantum eam recipiunt, quae simplex, adiuncta illa, quae est cum imitatione. id quod ob eam rem facere illos opinor, ut duo haec discrimina, caussis quoque duabus propositis, ad numerum respondeant: quod tamen parum succedit. Licet enim imitatio, imitationi conueniat, ratiocinationi certe, quã pro secunda scribendi caussa afferunt, expositio simplex nullo modo conuenit. nec enim potest, uel Physici de rerum natura, uel Geometrae de magnitudinibus docentis oratio, esse narratio: cum quidem docentis oratio, sit syllogismus demonstratiuus; narratio autem, rei uel gestae uel quae geritur, expositio. Quapropter omnem fabulatoris & poetae orationem, esse aut simplicem, aut cum imitatione, aut ex utraque re confusam, Plato uere concludit. Hi contra, Autoprosopos & Dialogicos libros fuisse per simplicem narrationem, & per imitationem conscriptos mendose inferunt. neque id mediusfidius iniuria: rectum est enim ex falsis falsa consequi. Hos ego auctores habui, de libris Exotericis ut certo quodam uoluminum genere, qui mentionem aliquando fecerint. quos a nouitijs aliquot philosophis non sine caussa dissentientes, consentire tamen Aristoteli ut ostendam, quod antea fecit nemo, hinc iam experiar. Res omnis fere, de qua ratiocinari consueuimus, eiusmodi est, ut alia in se habeat re uera, ex opinione autem alia. atque ista quidem utraque interdum ἐπόμενα & ὑπάρχοντα promiscue uocat Aristoteles, alias κατηγορούμενα, & quod idem declarat, κατ' ἄλλου λεγόμενα, hoc est consequentia, quaeque insunt, & de quodam dicuntur, si uerbum uerbo reddi placet. Ex ijs igitur quae rei uere insunt, uerae propositiones; ex propositionib. aũt ueris, uerae item fiũt ratiocinationes, quae demonstrationes nominantur. Rursus ex ijs quae in re insunt ex opinione, propositiones ex opinione probabiles, ex tali porro genere propositionum, ratiocinationes ex opinione dialecticas, quae proprie sunt ἐπιχειρήματα, & λογικοὶ λόγοι, notum est cõfici. Sunt ista quidem uera, quae proxime scripsi, sed propter nimiam breuitatem obscura. quare faciendum uidetur, quando res ita postulat, ut fusius & enucleatius denuo eadem retractemus. Haec igitur, ex quibus constat demõstratio, quae rem uere consequuntur, non uera solum, sed & propria, & sua cuiusque rei,

hoc est,

hoc est, ἴδια & οἰκεῖα esse oportet. quam rem ex eo planissime licet intelligi, quod in Prioribus Analyticis scribit ipse, quo loco tradit, quemadmodum ratiocinandi simul & demõstrandi principia ratione ac uia possint inueniri. ait enim: In omni re, de qua ratiocinatio fieri soleat, propria inhaerere plurima. ἴδια δὲ καθ' ἕκαστον, inquit, αἱ πλεῖσαι. ita enim aliquanto quam in uulgatis libris melius, partim ex commentario Alexandri, partim ex meo exemplari omnium, quae in uita uiderim, antiquissimo, & legi & scribi debere arbitror. cum quibus quidem etiam illa congruunt ex primo Posteriorum Analyticorum, esse uidelicet in omni scientia quaedam communia, quaedam uero propria. propria ueluti lineam & eius definitionem, & rectum, in geometricis. ad uerbum enim ita scribit: ἴδια μὲν οἷον γραμμὴ εἶναι τοιανδὶ καὶ τὸ εὐθύ. & linea subiecti generis nomen est, rectum uero consequentis. Dicit autem lineam esse talem, significans credo, lineae definitionem: quae quia idem est cum definito, quod est genus subiectum, subiectum uero genus proprium principium est, ea re fit ut lineae definitio aeque sit proprium principium. in elenchis uero, sicut & alibi, Demonstrationem λόγον διδασκαλικὸν appellat. id orationem ad docendum idoneã ostendit. eam igitur orationẽ ex suis cuiusq. disciplinae principiis fieri ait his uerbis: διδασκαλικοὶ μὲν οἱ ἐκ τῶν οἰκείων ἀρχῶν ἑκάστου μαθήματος. scripserat hoc idem ante in Topicis octauo libro, cum praeciperet non fieri posse, ut demõstraremus quidquam, nisi a suis cuiusq. principiis ordiremur: ἀδωάτον γάρ, inquit, ἀποδεῖξαί τι, μὴ ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν οἰκείων ἀρχῶν. Dicit etiam de rebus quae demonstrari possunt, quaeq. rem subiectam uere consequũtur, in tertio De Sapientia, ὅτι καὶ ἀριθμοῦ τινὲς ἀριθμοὶ ἴδια πάθη. οἷον ἀρτιότης περιττότης. & in nono eiusdem operis, de mare & femina τὸ δὲ ἄρρεν καὶ θῆλυ τοῦ ζώου οἰκεῖα μὲν πάθη, ἀλλ' οὐ καθ' ὅλων οὐσίαν. Sed hac super re satis: quae cum admodum dubia non sit, tamen non fuit alienum his locis quasi testibus eam aliquo modo confirmare. Sed redeo ad institutum. ea igitur quae rem consequi uere dicebamus, & uera esse, & propria, & sua cuiusq. rei, quomodo Aristoteli placet, ex his facile potest perspici. Iam vero eadem ista inesse rei per se, & ita uulgo nominari, manifestum est. itaque pro certo etiam sumi debet, uera ex quibus fit demonstratio, per se

de rebus

de rebus dici. quae uero per se de aliquo dicuntur, illa omnia, eodem in genere contineri. quamobrem necesse sit, ut uera ex quibus fiat demonstratio, item sint eodem in genere. De quo quidem quin ita sit, minime dubitandum est. certe nihil aliud extra hoc unum illa declarant: ἐκ γὰρ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀνάγκη τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. εἰ γὰρ μὴ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα ἔσαι. oportere ait in primo Posteriorum media & extrema demonstrationum eiusdem esse generis. si enim non per se sint, ea fore accidentia. & huius quidem loci clausula, consecutionem ostendit necessariam. ex eorum diuisione scilicet, quae rebus insunt, quaeque de aliquo dicuntur. sunt enim omnia quae rei insunt, & de ea dicuntur bipartito distributa, quod aut per se sunt, aut per accidens: ut docet ipse cum ita dicit: ἅπαν γὰρ ἢ οὕτως ὑπάρχει [τουτέστι καθ' αὑτὸ] ἢ καθὰ συμβεβηκός. quamobrem si quis neget Demonstrationis media & extrema esse per se, dederit is omnino illa esse accidentia, quo concesso, ad id quod & perspicue falsum est, & fieri non potest, ratio hunc in modum procedet. Demonstrationis media & extrema sunt accidentia, haec nō necessaria sunt. itaq. Demōstrationis media & extrema nō necessaria sunt: quod manifesto falsum est, & cum eo pugnat quod ipse antea dilucide patefecit. Quapropter, quoniam ea quae rem uere consequuntur, eidem etiam per se insunt, & eodem in genere continentur, paullo post, de eadem re cum ageret, ita locutus est: συγγενῆ δεῖ εἶναι τοῖς πρώτοις: esse in eodem genere cum primis oportet. & de medio termino demonstrationis in hanc sententiam dixerat prius: ἀνάγκη τὸ μέσον ἐν τῇ αὐτῇ συγγενείᾳ εἶναι: necesse est medium in eodem esse genere. & infra longo sane interuallo: εἰ μέντι τῷ αὐτῷ γένει, καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν ἀτόμων ἀνάγκη τοὺς ὅρους εἶναι. in eodem genere tamen & ex ijsdem indiuiduis terminos esse necesse est. ex quibus confectas propositiones, hoc est suppositiones & principia quae demonstrari nequeunt, una cum ijs quae per eas ostenduntur conclusionibus, eodem in genere contineri, multo post dicit hoc pacto: τούτου δὲ σημεῖον, ὅταν εἰς τὰ ἀναπόδεικτα ἔλθῃ. δεῖ γὰρ αὐτὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι τοῖς ἀποδεδειγμένοις. σημεῖον δὲ καὶ τούτου, ὅταν τὰ δεικνύμενα δι' αὐτῶν ἐν ταὐτῷ γένει ὦσι, καὶ συγγενῆ εἴη. atque hanc quidem sententiam Themistius quoq. alio modo ita concludit Demon-

ſtratio ex ijs, quae per ſe ſunt, confici debet. haec autem quae per ſe ſunt, rei unicuique (ſordide nos quidem: ſed neceſſario ita loquimur.) in quid eſt, haerent. quae uero in quid eſt rei unicuique haerent, & ſemper in ea ſunt, & patent latius, ſic, ut alij etiam inſint, nec tamen extra genus. patere dico latius, quaecumque ſingulis rebus inſunt uniuerſe, cum eo tamen, ut etiam inſint alijs rebus. exempli cauſſa. impar omni ternario ineſt, & patet latius; quia ineſt etiam quinario, non tamen extra genus: quinarium enim ſimiliter ut ternarium numeri genus complectitur. at extra numeri genus nihil eſt impar. quas ob res neceſſe eſt, ut quae per ſe ſunt, & rei ſemper inſint, & pateant latius, ea lege, ut alijs in rebus praeterea haereant, quae nequaquam ſint extra genus. itaque ideo quod Demonſtratio fit ex ijs quae ſunt per ſe. haec uero non ſunt extra genus, Demonſtrationem ex ijs, quae non ſunt extra genus, fieri oportere neceſſarium eſt: quod ſi quae non ſunt extra genus, eodem in genere continentur, etiam illud uerum omnino fuerit, fieri Demonſtrationem ex medio & extremis quae ſint eodem in genere: ut Ariſtoteli uidebatur. apud quem in Poſterioribus Analyticis libro ſecundo de ijs quae in quid eſt dicuntur, aliter atque alibi, ſcriptum eſt hoc modo: πῶς δὲ δεῖ ἀπρόϊεν ἢ ἐν τῷ τί ὅτι κατηγορούμενα, νῦν λέγομεν. τῶν δὴ ὑπαρχόντων ἀεὶ ἑκάστῳ, ἔνια ἐπεκτείνει ὅτι πλέον, οὐ μέντοι ἔξω τοῦ γένους. λέγω δὲ ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν, ὅσα ὑπάρχει μὲν ἑκάστῳ καθόλου. οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ. οἷον ἐστὶν ὁ πᾶσι τριάδι ὑπάρχει. ἀλλὰ καὶ μὴ τριάδι. ὥσπερ τὸ ὂν ὑπάρχει τῇ τριάδι. ἀλλὰ καὶ μὴ ἀριθμῷ ἀλλὰ καὶ τὸ περιττὸν ὑπάρχει τε πάσῃ τριάδι, καὶ ὅτι πλέον ὑπάρχει. καὶ γὰρ τῇ πενταδὶ ὑπάρχει. ἀλλ' οὐκ ἔξω τοῦ γένους. ἡ μὲν γὰρ πεντὰς, ἀριθμός. οὐδὲν δὲ ἔξω ἀριθμοῦ περιττόν. Horum uis expreſſa fere eſt in ratione quam ante poſui: quae res mihi cauſſam attulit ſane iuſtam cur a uertendo deſiſterem: hoc magis quod eadem iterata ſaepius ineptum erat fruſtra inculcare. ſed hic aliquis dixerit, non uerum uideri, omnia quae ſunt per ſe, dici in quid eſt, uel quod idem ualet, eſſe in uniuſcuiuſque rei eſſentia, ut ſibi ſumit Themiſtius. eorum enim quae per ſe ſunt, duplex genus eſt, ex quibus fit demonſtratio. alterum primi modi, quod dicitur in quid eſt, & in rei, de qua dicitur, eſſentia ineſt. alterum autem ſecundi modi, quod in rei,

de

de qua dicitur, essentia neq. inest, neq. de ea in quid est dicitur. sed contra subiecta res, de qua dicitur, in eius definitione collocatur. ut par & impar per se de numero, secundo modo, non in quid est dicuntur, nec in illius insunt essentia, uerum econtrario, numerus, nempe res subiecta, in eorum definitione ponitur. ex quibus planum est non uere illud sumi, omne quod per se sit, dici in quid est. quod enim per se est, patet latius, quam quod in quid est dicitur. omne enim quod in quid est dicitur, idem etiam per se inest. non tamen omne quod per se est, continuo in quid est dicitur. par enim & impar aliaq. id genus, per se sunt secundi modi, neque tamen de re subiecta, cui per se insunt, in quid est dicuntur. ex quibus patet, non a Themistio probari, omne quod sit per se uniuerse, sed priuatim tantummodo, omne quod sit per se primi modi eodem in genere contineri. At Aristoteles, omne quod per se sit, ex quo quidem fiat demonstratio, in eodem uult esse genere. ergo, etiam quae per se sunt secundi modi erunt in eodem genere. quanam ratione igitur illa quae secundi modi per se sunt, ut in linea, rectum & inflexum, in numero par & impar, eodem in genere ponuntur? an eo fit, quia contrarium est, uel priuatio, uel contradictio eodem in genere. par enim definias, esse non imparem numerum: cui numero per se par inest, quomodo praedictum est. Hoc erat illud, ijsdem de rebus cum uerba faceret, quod in primo Posteriorum ipse his uerbis scriptum reliquit: ἐςὶ γὰρ τὸ ἐναντίον ἢ στέρησις ἢ ἀντίφασις ἐν τῷ αὐτῷ γένει. οἷον ἄρτιον τὸ μὴ περιττὸν ἐν ἀριθμοῖς ἢ ἔπεται: quod totum in nono libro De sapientia, unde huc translatum est, planius & uberius exponitur. licet inde pauca summatim, ignota praecipue interpretibus, docendi caussa excerpere. Omnis inquit contrarietas est quaedam priuatio. ea namque priuationem alterius contrarij semper habet. omnis autem priuatio quaedam est contradictio subiecto capaci atque habili coniuncta. ita fit, ut omnis item contrarietas quaedam sit contradictio, capaci subiecto iuncta. subiectū autem capax, uel habile, Aristoteles multis nominibus graece significat. nam & πεφυκὸς & δεκτικὸν, & ὑποκείμενον, uel ὑποκειμένῳ φύσιν, postremo etiam γένος appellat. ex quibus liquet, ab illo uere, quae secundi modi per se sunr, quoniam contraria

sint, ad priuationem simul & ad contradictionem genere eodem terminatam reuocari. ex duobus enim contrarijs alterum semper est alterius priuatio. haec autem negatione una cum subiecto habili atque apto, uel etiam cum genere definitur. esse igitur in eodem subiecto & genere quae secundi modi per se sunt contraria oportet. subiecto namq. cui per se inhaerent, semper definiuntur, quod de pari & impari nimium iam saepe diximus. ergo de his illa quoque scribit Aristoteles: ἀνάγκη γε πάντα ὑπάρχειν τῷ πρώτῳ, οἷον ἀριθμῷ, καὶ ἐκείνοις τὸν ἀριθμὸν: hoc est, omnia inesse primo, ueluti numero, & in illis numerum uicissim, necesse est. quapropter, quae per se sunt secundi modi, cum necesse sit ut insint primo, ueluti numero omnia, primum uero & numerus, sit subiectum genus, quae per se sunt secundi modi ut insint subiecto generi omnia necessario dicendum uidetur. Sed ad prima redeo. ex ijs quae sunt per se cum primi tum secundi modi demonstrationem confici manifestum est. horum uero modus uterque in eodem genere, continetur. itaque ex ijs quae in eodem genere sint, non extra illud, Demonstrationem fieri prorsus necesse est. ex quibus etiam patet ea quae rem uere consequuntur, non modo uera esse, sed & per se, & intra idem genus cohiberi, non extra illud uagari. sed haec hactenus. Nunc est enim de ijs dicendum, quae rem ex opinione consequuntur. sunt igitur haec ἔνδοξα graece, latine autem probabilia: quae ut dixi prius, ad ratiocinandum proprie sibi sumunt Dialectici. eadem ab Aristotele non semel communia nominantur. sed ne hoc quidem ut multa praeterea magnopere curarunt interpretes. planissime uero in Elēchis ille: ὁ μὲν οὖν κατὰ τὸ πρᾶγμα θεωρῶν τὰ κοινὰ, διαλεκτικὸς ἐστίν. Is, inquit, quae sunt in re cōia, q̄ cōsiderat, Dialecticus est. quāobrē, si ut est, ꝓbabilia cōsiderātur a Dialectico, & ab eodē, ut nūc apte dicit cōsiderātur cōia, ex illius sententia ꝓfecto, ut ꝓbabilia sint cōia, res nos ipsa, si nihil sit aliud, coget fateri. de quo rōcinari subtilius, nō sane attinet: cū in libris, quos De arte Rhetorica edidit, uersari in communibus Rhetoricam pariter & Dialecticam primis uerbis affirmet ipse. quam quidem caussam ponit unam quamobrem Rhetorica Dialecticae sit ἀντίσροφος. cur enim ita sit, nihil affert praeterea: id quod ex illius ratione, quae talis est, perspicitur.

citur. Rhetorica facultas est, quae communia considerat. Omnis autem facultas, quae communia considerat, Dialecticae similis est, atque gemina. maior enim quam alijs fides Aristoteli ipsi habenda scribenti sese in operis initio dixisse Rhetoricam esse similitudinem Dialecticae. in quo non repugnat uerbi notio. nam ἀντίστροφος similem significat nonnumquam, si Hesychio credimus. ex quo planum fit, non recte Bessarionem facere. cum Dialectica namq. Rhetoricam conuerti, transfert. sic autem Aristoteli falsa oratio affingitur: qui Rhetoricam esse particulam Dialecticae confitetur. atqui particula cum toto minime conuertitur: nisi quidem in parte, ut aiunt: quam tamen conuersionem, subiecta ab Aristotele ratio nequaquam approbat. sed hoc est longius, quam quo intendimus, progredi. ad institutum igitur. probabilia esse communia, ex his quae dicta sunt, satis manifestum est. communia porro haec, de quibus hic agitur, sunt in rebus omnibus. ita sensit in elenchis ipse, cum de communibus inquit: ἐστὶ πολλὰ μὲν ταῦτα, καὶ κατὰ πάντων: multa sunt ista quidem, & in omnibus. itaque ideo quod probabilia sunt coīa: haec autem insunt rebus oībus inesse rebus oībus ꝓbabilia licet colligi. cui quidē cōsentit illud quod in Dialecticae definitione cernitur, eam uidelicet facultatem, de OMNI re proposita ex probabilibus ratiocinari. quin idem in elenchis etiam scribit: πᾶσαι γὰρ αἱ τέχναι χρῶνται καὶ κοινοῖς τισι. omnes enim artes etiam communibus quibusdam uti. quae communia cum a Dialectico considerentur, ex eo artes omnes considerari a Dialectico sequi consentaneum est. Fidem ista perspicue faciunt inesse rebus omnibus communia. omnes autem res non uno aliquo genere comprehendi, & scimus ipsi; & ex elenchis uerba haec docent: οὔτε γὰρ ἐστὶν ἅπαντα ἐν ἑνί τινι γένει: neque enim omnia sunt in uno quodam genere. quapropter probabilia & simul communia, quoniam quidem sunt in rebus omnibus, non uno genere continentur. quo circa eadem quoq. sunt extra genus. ut enim quae sunt eodem in genere, non ea sunt extra genus, quod explicui antea, sic e contrario, ea sunt extra genus, quae non eodem genere continentur. probabilia ergo ac communia esse extra genus ueriſſime dicētur erunt igitur cum eadem ista, tum uero ex eis propositiones & argumenta

menta exoterica. quod quidem ita esse locus in quarto libro, qui est de Rerum Natura, apertissime omnium declarat. Dicit enim de tempore: πρῶτον δὲ καλῶς ἔχει διαπορῆσαι περὶ αὐτοῦ, καὶ διὰ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων: Primo autem de eo dubitare rationibus exotericis, bene habet. quae uerba nouam istorum opinionem, praeter cetera egregie refellunt. neque enim de libris qui sunt extra hos, de rerum natura scilicet, possunt accipi: cum ad argumenta, quae proxime supponuntur, manifesto referri uideamus. argumenta uero illa, nec libri sunt, nec foris, (nam duo haec exotericorum nomine ostendi putant) ut quae ibidem illico, nec usquam alibi exponantur. constat etiam ex probabilibus & communibus, id quod optimus quisque interpres, (unum excipio Themistium) memoriae prodidit. sed & sine interprete, tamen ita se rem habere, paullo in Analyticis exercitatior, facile quiuis unus animaduerterit. non ens, item res diuidua, quodq. pars totum dimetiatur, & eiusmodi alia, quibus eodem in loco pro medijs terminis utitur, non solum rebus physicis, uerum etiam mathematicis, ut magnitudinibus ac numeris, communes, nec propriae sunt generis alicuius certis terminis definiti. nec uerendum est, ne uocabulum exoterici, non idem quod extraneus uel extrarius ualeat. patet ex eo quod in septimo De Republica de Deo legitur, qui beatus est, δι' οὐθὲν τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ δι' αὑτόν αὐτὸς ob nullum extraneum bonum, sed ipse per sese. & in quinto De ortu Animalium lingua dicitur, ὥσπερ ἓν μόριον τῶν ἐξωτερικῶν εἶναι, esse ueluti partem unam extrariam. Haec habebam fere, de consequentibus ex opinione quae dicerem. quo loco non inutile fuerit ista cum ijs, quae rem uere consequuntur, comparare, ut, rebus ante oculos positis, ex comparatione, quantum inter utrũq. genus intersit, splendidius elucescat. Quae rem igitur uere insequi dicebamus, etiam propria sunt. at haec ex opinione, sunt communia. illa in eodem genere, haec autem non eodem genere continentur. illa non extra genus, contra haec extra genus prodeunt. Denique illa, quia rebus insunt per se, non sunt accidentia; haec uero, quoniam sunt accidentia, ideo rei per se non insunt. ex quo est in libro de Sapientia decimo notatum his uerbis: ἥ γε μὲν διαλεκτικὴ καὶ ἡ σοφιστικὴ τῶν συμβεβηκότων μέν εἰσι τοῖς οὖσιν, οὐχ' ᾗ δὲ ὄντα οὐδὲ

οὐδὲ περὶ τὸ ὄν αὐτὸ καθ' ὅσον ὄν ἐστὶν: ceterum Dialectica, inquit, & Sophistica, entium quidem accidentia considerant, non tamen qua sunt entia, neque uero ens ipsum, qua ens est. His tot discriminibus duo genera consequentium facillime possunt internosci, & ab altero alterum secerni ac distingui. e priore quorum fiunt demonstrationes, ex posteriore autem rationes Dialecticae ex probabilibus. itaque ex consequentibus genere diuersis Demonstratio & Dialectica constabit argumentatio. Quapropter, quoniam, sicut ante dictum est, & deinceps etiam dicetur planius, de physicis demonstratiua pariter & dialectica oratio haberi conscribiq. potest; utraeque autem sunt orationis diuersa genera: certum est posse de Physicis haberi diuersum orationis genus atque conscribi. ex eo librorum diuersa item genera confici, non uidet nemo. atque haec est Aristotelis sententia, ut quidem nos arbitramur. cum qua quae de exotericis scripta fuerunt a ueteribus, a nobis uero collecta superius, & explicata diligenter, esse debent consentanea. nam quod aiunt, exotericas ratiocinationes, ex probabilibus & communibus constare, prorsus huc facit: si modo placere Aristoteli ex consequentibus probabilibus & communibus fieri propositiones & argumẽta exoterica, uere docuimus. ex quo Dialecticas & exotericas rationes easdem esse oportet: una enim res est, quod ambae sunt ex probabilibus syllogismi. libros quoque exotericos ab hoc genere argumentorum potius, quam a personis, quibus extra auditorium mitterentur, nomen ducere, multo mihi fit uerisimilius. & nimirum illud aeque conuenit, argumenta exotericorum uulgo a multis facile intelligi. fiebant enim ex communibus et probabilibus. haec autem, (quod earum descriptio planum facit) sunt in opinione ac cognitione omnium aut plurimorum. itaque initio primi libri de arte Rhetorica, hanc una cum Dialectica, in ijs uersari prodidit, quae cognitu communia sunt omniũ, sic enim de utrisq. scribit: ἀμφότεραι γὰρ πεφύκασι τοιούτων τινῶν εἶναι, ἃ κοινά τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν: quod est, ambae sunt in rebus eiusmodi, quae quodammodo communia sunt omnium ad cognoscendum. Item in elenchis etiam imperitos omnes uti Dialectica probat, hac re, quia communibus utantur: quae illis nihilo secius nota sint, quam ipsis Dialecticis, tametsi imperiti,

imperiti, ab artis notitia abeſſe lõgius uideãtur. haec enim dicit: τᾶτα δὲ ὅτι τὰ κοινά. ταῦτα γὰρ οὐδὲν ἧττον ἴσασιν αὐτοὶ, κἂν δοκῶσι λίαν ἔξω λέγειν, ἐλέγχουσιν οὖν ἅπαντες. ἀτέχνως γὰρ μετέχουσι τούτου, οὗ ἐντέχνως ἡ διαλεκτικὴ ὄξιν. haec autem ſunt, inquit, communia. haec enim nihilo minus ipſi cognoſcunt, quamuis longe admodum remoti ab arte loqui uideãtur. omnes uidelicet redarguunt. etenim ſine arte ſunt eius participes, quod cum arte Dialectica conſiderat. Non ſolum autem cognoſci ab omnibus communia plane cõfirmat Ariſtoteles iſto loco, uerum etiã addit, quemadmodum ea uulgus & multitudo imperita cognoſcat. norunt enim communia homines rerum imperiti: eadem etiam norũt Dialectici. ſed hi ſine artis praeceptis: illi ex Dialecticae praeceptis artificioſius. atque hoc illud eſt, quod in initio primi de arte Rhetorica ſignificat, cum ait: τρόπον τινὰ, hoc eſt, MODO QVODAM, res in quibus uerſetur utraque facultas, communiter cognoſci ab omnibus. apparet etiam communia, duabus de cauſſis eſſe communia: primum, quia rebus inſunt omnibus; deinde, quia omni hominum generi cognita ſunt. Recte igitur dictum a ueteribus, exotericas argumentationes, & libros quibus illae continerẽtur eſſe eiuſmodi, quae multitudo facile intelligeret, & ſcriptas eſſe populariter, hoc eſt, ad uulgi intelligentiam accommodate. Non ab ijs diſcrepat, quod in exotericis de rebus agi phyſicis & moralibus, ijdem tradiderunt. ſunt enim exoterica, Dialecticae rationes ex probabilibus. atqui hae quaeſtionibus Dialecticis adhibentur. omnis autem quaeſtio Dialectica, triplex: nempe, phyſica, moralis, ac logica. neceſſe igitur eſt ex his, ut exoterica phyſicis, & moralibus, agitandis adiungamus. Ac de quaeſtionis Dialecticae tribus generibus, in Topicis libro primo ſcriptum eſt hoc pacto: ἐσὶ δὲ, ὡς τύπῳ περιλαβεῖν, τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων μέρη τρία. αἱ μὲν γὰρ ἠθικαὶ προτάσεις εἰσὶν. αἱ δὲ, φυσικαὶ. αἱ δὲ, λογικαὶ. hoc eſt, ſunt autem, ut ſummatim complectar, propoſitionum & quaeſtionum tres partes. aliae namque ſunt morales propoſitiones, phyſicae aliae, aliae logicae. quoniam autem eadem iſta tractantur a philoſopho pariter & Dialectico, ſed alio modo; hanc ob cauſſam, ut de eadem re faciat uterque, paullo poſt adſcribit his uerbis: πρὸς μὲν οὖν φιλο-

φιλοσοφίαν κατ' ἀλήθειαν ἐπὶ αὐτῶν πραγματευτέον· διαλεκτικῶς δὲ, πρὸς δόξαν. De iſtis, inquit, philoſopho (ſic vt dicam) ad veritatem, Dialecticè uero ad opinionem agi debet. Ex quibus ſatis intelligitur, philoſophum ſimul & Dialecticum res omnino eaſdē contemplari, ſed alia uia, non ad eundem finem. nam philoſophus ueritatem occultam retegit, cuius cognitio eſt ſcientia. nec mirum: quandoquidem Demonſtratione, quae, ut docui, fit ex ueris conſequentibus: quod ratiocinandi genus, ex aliis omnibus unum ad gignendam ſcientiam apte idoneum eſt. Dialecticus autem, ut qui ex iis, quae rem ex opinione conſequi diximus, argumentetur, opinionem, infirmam ſcilicet notitiam, ut conſentaneum eſt, tantūmodo efficit. Item, exoterica fiunt ex communibus. haec multis rebus genere diuerſis inſunt: ſi quidem, ut planum feci, ſunt in omnibus. haec autem ſunt ualde uniuerſalia. Exoterica igitur ſunt ex ualde uniuerſalibus argumenta. Argumenta ex ualde uniuerſalibus, non ex principiis propriis ſumuntur, ergo exoterica non ex principiis propriis duci manifeſtum eſt. at ea quae non ex principiis propriis ſumimus argumenta, quamquam de rebus non ſunt, eſſe tamen de rebus uidentur. & nimirum etiam inane ipſum quod nihil eſt, eſſe aliquid tamen uidetur. quas ob res exoterica minime ſunt de rebus, etiam ſi de iis eſſe uideantur. Quid autem hac de re ſenſerit Ariſtoteles, non difficile eſt uidere, dum quidem illa, quae in extremo ſecundo de ortu Animalium ſcripta ſunt, teneantur. illa uero ſunt eiuſmodi: οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος καθόλου λίαν ἐστὶ κενός. οἱ γὰρ μὴ ἐκ τῶν οἰκείων ἀρχῶν λόγοι, ἀλλὰ δοκοῦσιν εἶναι τῶν πραγμάτων οὐκ ὄντες. οἱ γὰρ ἐκ τῶν ἀρχῶν τῶν γεωμετρικῶν, γεωμετρικοί. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. τὸ δὲ κενὸν δοκεῖ μὲν εἶναί τι, ὅτι δ' οὐδέν. ratio haec igitur ualde, inquit, uniuerſalis & inanis eſt. rationes enim nō ex propriis initiis ductae, cum de rebus non ſint, eſſe tamen uidentur. Etenim quae ſunt ex initiis geometricis, geometricae ſunt: itaque eſt etiam in aliis rebus. ipſum autem inane etſi uideatur eſſe aliquid, tamen nihil eſt. Ille haec. Ex quibus poteſt perſpici, argumenta exoterica, non de rebus eſſe, ſed uideri. & ſimul, ab iis opinionem gigni, ſcientiam non item. bene igitur Strabo, ueteres peripateticos, qui annis deinceps poſt mortē Theophraſti Lycium tenuerunt, negat potuiſſe πραγματικῶς φιλοσοφεῖν, hoc

est, re ipsa aut etiam de rebus, philosophari, ob eam caussam scilicet, quod exotericis quam maxime uterentur. Nec uero Plutarchus de Idea qui in Exotericis differi refert, falsa refert. nam Idea generi iuncta est. quod ita esse septimi de sapientia locus docet his uerbis: πρὸς ὃ καθόλου, καὶ πρὸς γένει, καὶ αἱ ἰδέαι συναπτουσι: hoc est uniuersali autem, & generi, etiam Ideae iunguntur. est eadem praeterea, τὸ τί ἦν εἶναι: siquidem Idea est essentia quae definitione explicatur: essentia uero quae definitione explicatur, est quid sit rei esse, hoc est τὸ τί ἦν εἶναι. quorum alterum in primo De Sapientia, alterū in eiusdem operis quarto libro uberius tradit Aristoteles. quaeri autem & disputari tum de genere, tū de definitione quae quid sit rei esse ostendit, probabili ac dialectica ratione, ex libro primo eorum, quae topica inscribuntur, notissimum est. atqui probabilis & dialectica ratio, ut docui prius, eadem est exoterica. quas ob res, ad Ideam rationibus exotericis disputare licuit. Quod autem exotericos esse Dialogicos dicunt, nihil ne in isto quidem falli eos arbitror. Dialogus graecum nomen est, Latinis usitatum. id a uerbo διαλέγομαι, quod nonnumquam interrogare ac respondere ualet, capit originem: ut apud Platonem in Protagora: διαλεγέσθω, inquit, ἐρωτῶν τε καὶ ἀποκρινόμενος. item in Gorgia, ἆρ' οὖν ἐθελήσαις ἂν ὦ Γοργία ὥσπερ νυνὶ διαλεγόμεθα διατελέσαι, τὸ μὲν ἐρωτῶν τὸ δ' ἀποκρινόμενος. & saepe idem alibi, quem Alexander in commentario ad Topica sequitur. quapropter Dialogus sermo quidam est ex interrogatione & responsione, ut recte in Platonis uita describit Diogenes. atq. haec quidem uerbi uis. De re autem quomodo se habeat, nunc dicam. Exoterica argumenta, ut supra docui, sunt Dialectici syllogismi. hi omnes ex propositionibus fiunt dialecticis. omnis autem propositio dialectica est interrogatio probabilis. probabilis porro interrogatio & dialectica, est responsi petitio, quod quidem responsum aut propositio aut altera pars contradictionis est. ita enim in libro περὶ ἑρμηνείας scribitur: ἡ ἐρώτησις ἡ διαλεκτικὴ ἀποκρίσεως ὄρεξίν αἴτησις, ἢ τῆς προτάσεως, ἢ θατέρου μορίου τῆς ἀντιφάσεως. & in octauo τοπικῶν: πρότασις διαλεκτικὴ πρὸς ὃ ὀρεξὶν ἀποκρίνεσθαι ἢ οὔ: hoc est: propositio dialectica est ad quam, etiam, aut non, licet respondere. Ex quibus manifesto intelligitur, Dialecticum syllogismum fieri ex interrogatione probabili,

li, poſtulante reſpondi aut propoſitionem aut alteram partem contradictionis. talis autem oratio etiam ab Ariſtotele Dialogus nominatur. probant ex octauo τοπικῶν haec uerba. πειρατέον ἢ κἠ εἰς ἃ πλεισάκις ἐμπίπτουσιν οἱ διάλογοι κατέχειν. hoc modo enim tum ex libris ueteribus, tum ex graeco loci eius interprete legi debere cognouimus. uerba etiam illa primi Poſteriorum, quibus explicat, facilius Demonſtrationes reſolui, quam ſyllogiſmos ex probabilibus, hoc ipſum plane confirmant. ea ſunt huiuſmodi: ἀντιστρέφει δὲ μᾶλλον τὰ ἐν τοῖς μαθήμασιν ὅτι οὐδὲν συμβεβηκὸς λαμβάνουσιν. ἀλλὰ κἠ τούτῳ διαφέρουσι τῶν ἐν τοῖς διαλόγοις. hic διαλόγους appellat, quos ſupra λόγους uocauerat, cum diceret, ἐν ᾧ τοῖς λόγοις λανθάνει: ſermones (id enim ualet, λόγους) diſputationes ex probabilibus ſyllogiſmis dialectica appellare mos eſt Ariſtoteli. id quod locus initio primi Poſteriorum aperte declarat, in quo de Dialecticis, ſyllogiſmo & inductione utentibus, ita ſcribit; quo modo quidem eſt in libro peruetere: ὁμοίως ᾧ κἠ περὶ τοὺς λόγους, οἵτε διὰ συλλογισμῶν, κἠ οἱ δι' ἐπαγωγῆς ἀμφότεροι διὰ προγινωσκομένων ποιοῦνται τὴν διδασκαλίαν. de iis enim loquitur, qui ſyllogiſmos ſumptis ab alio propoſitionibus conficiunt. tales autem ſyllogiſmi ſunt Dialectici. neque enim qui demonſtrat, ab eo quem docet propoſitionem aſſumit. quam ob cauſſam de ratiocinationibus ibidem ſubiecit, οἱ μὲν λαμβάνοντες ὡς παρὰ ξυνιέντων, ſumendo, inquit, tamquam ab intelligentibus. eos enim oſtendit, qui a Dialectico rogati aut affirmationem aut negationem, e qua faciat ſyllogiſmum Dialecticus, illi concedunt. item in libro De Sapientia primo, ubi de Platone uerba facit, qui ſpecies omniū primus introduxit: ἦ τῷ εἰδῶν εἰσαγωγὴ, διὰ τὸ ἐκ τοῖς λόγοις ἐγένετο σκέψιν. οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον. Platonem enim facultate praeditum fuiſſe ratiocinandi ex probabilibus, quam proprie Dialecticam uocat Ariſtoteles, & Beſſario recte patrum memoria docuit, & ex ipſius dialogis ac diſputationibus palam eſt. in iis enim, ut alios ſilentio praeteream, Piraſticos aliquot ab antiquis etiam numerari uideas. atqui Piraſtica quaedam eſt dialectica, ſi credimus Ariſtoteli ſcribenti in Elenchis haec: ἦ γὰρ πειραστικὴ ὅτι διαλεκτικὴ τις. Sentit ergo Ariſtoteles, Platoni, cur ſpecies introduceret, ſermones dialecticos inſpiciundi gratia habitos, cauſſam attuliſſe: id quod

Philoſophis, qui aetate Platonem praeceſſerant, quod Dialectica facultate carerent, contingere nequaquam potuit. Sed redeo unde diuerti. igitur palam factum eſt exotericos ſermones, Dialecticos eſſe ſyllogiſmos. hos uero, orationes eſſe ex interrogatione ac reſponſo probabili. Denique orationes huiuſmodi etiam ab Ariſtotele dialogos appellari. Ex quibus, exotericos ſermones eſſe ex interrogatione & reſponſo probabili, & eoſdem praeterea dici Dialogos, tum uere, tum neceſſario uidetur conſequi. Hoc quoque non difficulter poteſt perſpici, Dialectico interrogationem eſſe neceſſariam. ut enim fieri non poteſt, ut is ſine propoſitione probabili ratiocinetur, ita, probabilem propoſitionem, ſine interrogatione ac reſponſo, nullo modo poteſt ſumere. Ad haec, in ratiocinationis dialecticae natura, probabilis ineſt propoſitio, in huius item propoſitionis natura interrogatio perſpicue ineſt atque reſponſio. quae autem in aliqua re iſto modo inſunt, ſi Analytice loquamur, ea eſſe neceſſaria in primis ducimus. has ob res Dialecticus ut roget ac reſpondeat neceſſarium eſt. quod ſi interrogare ac reſpondere probabiliter, eſt habere Dialogum, Dilecticus etiam ut Dialogum neceſſario habeat, omnino confitendum eſt. ex hoc cauſſa cognoſcitur, quare in Elenchis Dialecticam interrogatricem eſſe ſcripſerit, ubi eſt, ἡ ὃ διαλεκτικὴ, ἐρωτηματικὴ ἔξις. Locus praeterea octaui τοπικῶν animaduerti debet: in quo tria Dialectici officia enumerat. ex quibus primum ponit, argumenti locum inuenire. ſecundum, inuenta ſecum rogare ſimul & diſponere. tertium, inuenta enũciare. Atq. horum primum Dialectici & Philoſophi commune eſt. duo reliqua Dialectico proprie aſſignat, cũ de rebus inuentis inquit, τὸ ὃ ἤδη ταῦτα τάττειν καὶ ἐρωτηματίζειν, ἴδιον τοῦ διαλεκτικοῦ. πρὸς ἕτερον γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον: id eſt, iam uero haec diſponere & interrogare proprium eſt Dialectici: omnis enim eiuſmodi ſermo cum alio habetur. Poſtremum quae in toto octauo libro, rogandi ac reſpondendi praecepta dantur, manifeſto huc pertinent. quapropter cum Dialectici proprium ſit, rogare & reſpondere probabiliter: haec autem oratio ſit Dialogus, & habere & ſcribere Dialogos, Dialectici munus proprium eſſe oportet. Forſitan quaerat hic aliquis, habere ne poſſit Dialogum is, qui demonſtrat, & ſcientiam docet. & poſſe quidem uidetur; ſi ad

Platonis

Platonis libros respicias: sin argumentorum firmitatem spectes; ne non sit secus, non iniuria dubitaueris . etenim Dialogum qui habet , interrogat , ut dictum est scilicet . contra uero , qui demonstrat , non interrogat . ex quo est & in initio Priorum Analyticorum : οὐ γὰρ ἐρωτᾷ, ἀλλὰ λαμβάνει ὁ ἀποδεικνύων : non enim interrogat , inquit, sed sumit qui demonstrat: & in primo item Posteriorum , ἀποδεικνυώτα γὰρ οὐκ ἔξεστιν ἐρωτᾶν , hoc est, Demonstranti non licet interrogare. praeterea in Elenchis, docere & disputare diuersum quiddam esse cum docet ; δεῖ τὸν μὲν διδάσκοντα, μὴ ἐρωτᾶν, τὸν δ' ἐρωτᾶν , oportere ait docentem non interrogare , eum autem qui disputet interrogare. quamobrē si haec uere scripta sunt , non sanè poterit , qui docet ac demonstrat , habere dialogum . Accedit huc etiam, quod, qui interrogat, postulat, ut is qui rogatur, aiat aut neget. postulare autem ut rogatus aiat aut neget, non eius est qui demonstret. quapropter cum is qui dialogum habet interroget; qui autem interrogat, non demonstret : hinc consequi putandum est , qui dialogum habeat , nihil eum demōstrare . ac de interrogante scribit in Elenchis Aristoteles hoc pacto : τὸ φάναι ἢ ἀποφάναι ἀξιοῦν , οὐ δεικνύοντος ἐστὶν, ἀλλὰ πεῖραν λαμβάνοντος : hoc est, postulare ut affirmet aut neget, non demonstrantis est , sed attentantis. quae ob eam rem subiicere placuit , ut appareret locus , unde argumentum , quod in extremo proxime posui, duceretur. Sed hoc ad quaestionem parum est , nisi ambiguo distincto nodus exsoluatur. interrogatio igitur multiplex nomen est. nam, ut alia omittam, quae Alexander , alii etiam ex Eudemi libro περὶ λέξεως referunt, quod quidem e re nostra sit , eius duplex genus traditur , Dialecticum unum , alterum ad scientiam idoneum , quod ἐπιστημονικὸν ab Aristotele dicitur . differunt haec duo inter se , cum interrogandi modo , tum materia , quae subest . Etenim qui dialectice interrogat, contradictionem interrogat. eius uero matetia res est probabilis, aut eiusmodi certe , quae speciem rei probabilis habet. respondenti etiam , ut rogatum suo arbitratu aut affirmet aut neget , fit potestas . tali genere interrogandi ei qui demonstrat licere uti negauit , ut exposuit Aristoteles . at is tamen aliud interrogandi genus ponit , demonstranti & docenti accommodatum . est uero illud, cum qui interrogat, propositionem inter-

rogat

rogat ad ſyllogiſmum idoneam. huiuſmodi autem propoſitio, eſt affirmatio aut negatio, nempe contradictionis pars altera, non ipſa contradictio. a materie ſumit diſcrimen, ut ſit, & uera & neceſſaria, & ſua cuiuſque ſcientiae. Diſtat ergo poſterior haec interrogatio a priore, quod prior contradictionem rogat, quae nondum etiam eſt propoſitio ad ſyllogiſmum habilis. poſterior autem, ut quae iam ſit affirmario aut negatio, faciendo ſyllogiſmo eſt idonea. item prior eſt probabilis, aut ſpeciem habet rei probabilis. at poſterior eſt tum uera, tum neceſſaria, & ſua cuique ſcientiae. haec ergo eſt quam in primo Poſteriorum Analyticorum Ariſtoteles demonſtranti aſſignat. dicit enim his uerbis: εἰ ὃ τὸ αὐτὸ ὅτιν ἐρώτημα συλλογιστικὸν, καὶ πρότασις ἀντιφάσεος. πρότασις δὲ καθ' ἑκάστω ὁπτιήμιω ἐξ ὧν ὁ συλλογισμὸς ὁ καθ' ἑκάστω, εἴν ἄν τὶ ἐρώτημα ὁπτιμονικὸν ἐξ ὧν καθ' ἑκάστων οἰκεῖος γίνεται συλλογισμὸς. in quibus ponitur interrogatio ſyllogiſtica, quae ſit idem quod propoſitio contradictionis. eſt enim interrogatio ſyllogiſtica, oratio affirmans aut negans aliquid de aliquo. propoſitio autem contradictionis pars altera, item eſt affirmatio aut negatio. recte igitur eaedem eſſe ponuntur. ex quo palam eſt, poſſe qui demonſtret habere dialogum, ſi quidem ei per Ariſtotelem licet interrogare. Demonſtrantis uero & docentis interrogatio, non eam facultatem rogato permittit, ut is aut etiam aut non reſpondeat ſuo arbitratu, & ut ipſius opinio tulerit. neque enim qui demonſtrat ratiocinatur ex propoſitionibus illis, quae opinioni eius, qui reſpondet, probentur. neque uero hoc munus eſt Demonſtrantis, ſed alienam ſcientiam tentantis. Debet nimirum qui demonſtrāti ac docenti rogatus reſpondet, ea dare ſemper diſcendi cauſſa, quae qui docet probat atq. interrogat: ideo quod nemo, quae falſa ſunt, docere ſtudet. praecipit hoc ipſe in Topicis octauo libro, cum ait: τῷ μὲν γὰρ μανθάνοντι θετέον ἀεὶ τὰ δοκοῦντα. ᾧ γὰρ οὐδ' ἐπιχειρεῖ ψεῦδος οὐδεὶς διδάσκειν. itaque Lucretius Memmio, quem in Phyſicis erudire inſtituit, haud ſane iniuria imperat in hunc modum;

Tu mihi da tenuis auris, animumq. ſagacem;
Ne fieri negites, quae dicam, poſſe; retroque
Vera repulſanti diſcedant pectore dicta;
Tutemet in culpa cum ſis, ne cernere poſſis.

Ex

Ex interrogationibus autem, quas eius qui demonstrat proprias esse dixi, qui fiunt syllogismi, Demonstrationes uocantur. eas Aristoteles in Elenchis, λόγους διδασκαλικούς, hoc est, ad docendum idoneas orationes, nominat. quapropter, qui demonstrat, cum dialogum habet, docendi caussa eum habere manifestum est. idem uero ex interrogationibus istiusmodi possit ne an non habere dialogum, tentandi gratia, ut Themistio, & ante hunc Alexandro uidebatur; non huius temporis est oratio. illud etiam numquãdo aliquid Aristoteles docendi caussa hoc genere Dialogorum, scripserit, ex historia aeque incompertum est. e contrario autem, confectos ab eo fuisse Dialogos exoterico more, id est, Dialectico, ex his quae supra dixi, perspicue uerum est. In quibus, id quod Hammonium credere uideo, non eum ex sua persona loqui consuesse, dubium potest uideri: cum quidem in epistolis ad Atticum Cicero, Dialogos illos, quibus quaestionem Academicam explicabat, fateatur morem habere Aristotelium, in quibus ita sermo inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. non cohaerent ista: in Dialogis Aristotelem non ex sua persona loqui; & in iis penes ipsum sermonis esse principatum. Habere tamen hanc ad rem excusationis nonnihil uidetur Hãmonius; quod is Dialogos libris αὐτοπροσώποις contrarie opponit. libros autem αὐτοπροσώπους illos esse opinatur, in quibus ex sua persona loquatur Aristoteles: unde sequi putat idem, in Dialogis Aristotelem non ex sua persona sermonem habere. Sed hanc excusationem, qualis qualis est, eo reiicimus, quod, ut admonui, non eam admittit historia. & ut αὐτοπροσώπους libros, in quibus solus, non una cum aliis, ita Dialogos, in quibus non solus, sed simul cum aliis Aristoteles uerba faciat, interpretamur. Nec in eo Hammonium probamus, quod Dialogis Platonis, Aristotelis dialogos, ut iis similes, conferat. dissimiles diceret potius: ita multa sunt eorum inter ipsos discrimina. principio enim, Dialogi Aristotelis exoterici sunt omnes, hoc est, ut ex eodem Hammonio aliisq; docui, dialectico more conscripti, id quod ut de quibusdam Platonis affirmare licet, ita de omnibus uere non licet. deinde habuerunt prooemia, quibus contra dialogi Platonis caruerunt. dialogi enim Aristotelis in exotericorum librorum numero fuerunt. quibus

bus,ut auctor est nobis Cicero, praepositа erant prooemia.ad Atticum enim scribens , de dialogis sex de Repub. In singulis , inquit , libris utor prooemiis,ut Aristoteles in iis,quos ἐξωτερικοὺς uocat.quae prooemia si Platonis haberent dialogi, caussae nihil erat sane, cur Aristotelem mallet Cicero quam Platonem Philosophorum Deum, in isto imitari . Deinde in dialogis Aristoteles statim ut inductae personae colloqui coeperant, in initio sermonis, quaestione posita , ad eam e uestigio disputabat. cuius consuetudinis Diodoro scribens Basilius his uerbis meminit: οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες ἀριστοτέλης μὲν καὶ θεόφραστος δὲ θὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων . At uero morem hunc differendi plane dialecticum, certo quodam consilio usus, quod idem auctor significat, a suis libris Plato abiudicauit ac reiecit . Sed hic quae modo dicta sunt, superioribus uideri possunt repugnare. qui enim conuenit , ubi quaestionem propositam statim agites , ibi etiam uti prooemio,quod moram affert,& impedit,quominus de re continuo disputes ? uerum haec in speciem uerius quam re ipsa repugnantia est . sustuleris illam, si dicas , statim res ipsas aggredi solitum Aristotelem , in initio dialogi & collocutionis, quae prooemium proxime consequebatur . prooemium uero , nequaquã esse collocutionem concisam interrogationibus , sed orationis genus quoddam perpetuae , quod disputationi ac dialogo uel affingitur uel adnectitur : qualia sunt aliquot in libris de finibus Ciceronis, pleraque uero in Tusculanis disputationibus . at Platoni nequaquam orationes perpetuae, sed distinctae collocutiones interrogationibus fere dialogos exordiuntur . Quapropter hac re quoq; Platonis dialogos ab Aristotelicis seiungimus. distabant postremo inter se horum dialogi Philosophorum, quod in iis morata oratione Aristoteles minime utebatur; Plato contra, earum personarum quae colloquerentur , etiam mores dicendo exprimebat.quam rem ita se habere testificatur Basilius idem proxime post ea uerba, quae supra posui. Nec uero de Platone secus alij iudicant , Dionysius , Plutarchus , Diogenes: quorum omnium uerba , ut minime dubiis rebus fides fiat , huic loco alienum est infercire . Sed Basilius suo nobis testimonio dignam rẽ quaestione commouet . quod enim in dialogis Aristotelẽ simul & Theophrastum consuetudinem hanc tenuisse significat, ut res

propo-

propositas de quibus agerent inter se disputantes personae, continuo aggrederentur, mores earum, ut Plato non exprimerent, id ego illi dederim sane non inuitus: quod addit autem, cur ita facerent, iis caussam fuisse, quod orationis facultas, quam χάριν uocat, utrique defuerit; in eo si me dicam haerere, nihil hercule mentiar. in promptu est ambigendi caussa duplex, auctoritas, & ratio, quae cupientem in eius ire sententiam una omnium maxime detinet. nota enim uulgo est ex antiquorum monumentis, amborum dicendi tum copia & suauitas, tum orationis flumen aureum fundens Aristoteles, & ex diuinitate loquendi nomen inditum Theophrasto, ignorat nemo. quod si etiam est in dialogi natura morata oratio insita, id quod ex Diogeniana definitione illius apparet; haud dubie sequitur, ut dialogo necessaria sit morata oratio. eam igitur qui dialogo aufert, rem illi necessariam aufert. quod cum Aristoteles ac Theophrastus fecerint, uix est ut possint excusari, quin corruperint dialogum, & eius uim paene dicam sustulerint. insciliae huius autem insimulare uiros sapientes, multis nominibus indignum est. Demus ergo operam ut per nos quod quaeritur, quam planissime potest, hinc facto initio explicetur. Quemadmodum interrogandi ac respondendi, itemq. ratiocinandi, sic dialogorum genera minimum duo, dialecticum unum, alterum demonstratiuum, esse statuendum est. quare oportet horum in alterutro Dialogos Aristotelis contineri. ex his igitur duobus in quo nam collocandi sunt? an in dialectico? certe: si quidem sunt Exoterici; ii autem omnes, Dialectici: quod antea planum fecimus. atqui Dialecticus oratione morata neutiquam utitur. itaque ne in suis quidem dialogis, quod erant more dialectico conscripti, Aristoteles ac Theophrastus eam adhibuerunt. Placet Aristoteli, cuius praecipue sententiam inuestigamus, praeter necessarias, quattuor item alias esse propositiones, quibus uti Dialecticus debeat. ac necessariae uocantur illae, per quas ratiocinatio efficitur. praeter has sunt etiam, ut dixi, quattuor. eas sibi sumit Dialecticus, aut inducendi gratia, ad obtinendum uniuersale, illius concessu, quo cum disputat; aut ad conclusionem occultandam; aut ad exornandam disputationem; aut ad eius denique perspicuitatem. harum autem omnium nul

la eſt, a qua uelit mores exprimi. atque haec in Topicis libris ad extremum planius ab eo explicantur. ibi Dialecticum etiam, praeter has, aliis ullis propoſitionibus uti negat; his illum augere diſputationem, his demum ad interrogandum uti tradit. ex quibus ſatis conſtat Ariſtotelis Dialecticum oratione morata nihil uti. quamobrem ſi in dialogis Ariſtoteles, diſputantium mores minus expreſſit, non ea re putandum eſt, id uel infantia uel artis imperitia contigiſſe: ſed habendum pro certo potius, genere orationis huiuſmodi conſulto eum abſtinuiſſe, quod cum dialectice ſcriberet, dialecticorum legibus obtemperauerit. Diogenes uero, cum dialogo moratam orationem aſſignaret, definitionem illius attulit, quae Platonis artificio maxime conueniret, non eam tamen quae dialogi uim uniuerſam aperiret. ac nobis, ſi modo haec uera ſunt, illud praeterea fatendum eſt, dialogi genus Ariſtotelicum, aliter atque alii putant, remotum eſſe ab imitatione. cur autem ſit cum imitatione dialogus, is, cui morata ut docui deſit oratio? aiunt enim omnem, quae mores habeat oratio, imitationi eſſe coniunctam: quod tamen ſine dubio falſum eſt. Neque enim oratoris narratio, quam oportere moratam eſſe praecipit Ariſtoteles, imitationem ullam habere exiſtimatur. neque uero cum ſuis uerbis ſe bonum eſſe uirum oſtendit orator, quod in orationibus fit ſaepe, imitatur. ſi quidem ut Plato definiuit, ὁμοιοῦν ἑαυτὸν ἄλλῳ ἢ καλὰ φωνῇ, ἢ καλὰ σχῆμα, μιμεῖσθαι ἔστιν; hoc eſt, aſſimilare ſemetipſum alii, aut uoce, aut geſtu, eſt imitari. atque hoc recte fieri ait, ſi modo qui ſe ſe alicuius facit ſimilem, ita ſemetipſum occultat, ut non is qui loquatur, ſed alius plane nobis uideatur. qui contra nuſquam dicendo ſe occultet, eum loqui ſine imitatione dicit. quocirca cum orator in tota oratione nuſquam ſe celet, ubique oſtendat ſe ipſum eſſe qui uerba faciat, neque in ſua narratione, neque in orationis partibus aliis iſto modo imitabitur. quod uero ex duobus locis Ariſtotelis, quorum e libro de Poetis ab Athenaeo recitatur unus, alter autem e libro de Poetarum arte ſumitur, Dialogum eſſe imitationem confirmari credunt poſſe, reſpondendum ad id; Ariſtotelis locum utrumq. obſcurum eſſe admodum atque ambiguum, ut iidem ultro non rogati concedunt. ex obſcuris autem & ambiguis

Ariſtoteles

Aristoteles saepius praecepit nihil probari. & quidem in Analyticis, uitii genus hoc, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, appellat; quo nihil demonstratur. id proinde est, quasi dicas pluribus, quod initio ad probandum posueris, id tute tibi concedi postulare. Item illud afferunt caussae, cur Dialogus sit imitatio, quod in eo loquentes alios inducimus: omnis autem oratio in qua loquentes alios inducimus est imitatio. huius sententiae auctoritatem ex libro Aristotelis de Poetarum arte repetunt, in quo laudatur Homerus qui loquentes uiros aut mulieres inducat, ipse uero loquatur parcissime. Sed hi, similiter atque ut superiores, eadem uia sunt abunde a nobis antea refutati. Quocirca non si in dialogis suis Aristoteles loquentes aliorum personas induxit, continuo credi debet, imitationes esse, quos ille dialogos confecerit. De quibus illud quoque minime praetereundum uidetur, quod & prius dixi, in dialogis Aristotelem, non modo alios facere loquentes, sed ipsum etiam loqui, sic ut primas partes ageret, consueuisse. Ex quo cum in dialogis maximam partem loqueretur ipse, in iis maximam partem illum non imitari, dilucide ostenditur. Sed ne in ceteris quidem dialogi partibus, quantum ex ipsius uerbis quae in consolatione ad Apollonium refert Plutarchus, intelligo, imitatione usum fuisse illum arbitror: quandoquidem uerba & sententias in eo sermone, usurpat frequenter, quae scribentis personam ab omni similitudinis integumento nudam ante oculos nobis proponunt. Sed haec quidem de dialogo: quae pro re pauca, pro tempore nimium multa sunt. Longo igitur interuallo post ad Exotericos reuertamur: de quibus Simplicii locus unicus restat praeter ceteros, in quem consideratio propter utilitatem intendatur. in eo namque de libris Encycliis agit, & istos ipsos esse retur, quos Exotericos nominari docuimus. comparat libros Encyclios simul & Exotericos, cum genere librorum accuratius elaborato, quod Acroamaticum ac Syntagmaticum uocat; ita ut bini binis ex utraq. parte respondeant. Encyclios libros autem eos fuisse interpretatur, qui ab initio multitudini apponerentur. quae omnia Simplicius ex aliis omnibus antiquis, quod sciam, solus, nulla confirmatione adhibita, in commentario ad primum Aristotelis librum de Caelo posuit, ac sibi sumpsit suo arbitratu. quo

quidem in loco, quoniam Simplicio Encyclios una cum Exotericis, a genere toto Acroamaticorum simul & Syntagmaticorum secerni ac distingui placet, quam recte id fiat, primum omnium uideamus. Omnes igitur libri, quoscumque Aristoteles confecit, in duo distribuuntur genera. Vnum ὑπομνηματικὸν, quod hoc nomine uocarunt ob eam rem, quia erat memoriae caussa conscriptum. in id congerebantur multa confusius, quae uel legens aliorum scripta, uel commentans secum ipse philosophus sibi notabat, & ad usum seponebat: quo scripturus aliquid materies operi suppeteret. alterũ uero σωλαγματικὸν dixerunt: in quo rerum genus unum aliquod ab aliis secretum, cum eius certa partium in ordinem dispositione, tractabatur. Contineri hoc genere postremo Simplicius auctor est libros omnes, in quibus aut una cum aliis, qui fuerunt dialogici, aut solus ipse (αὐτοπροσώπους nominat) Aristoteles uerba fecerit. Scribit enim in commentario ad categorias ita: τῶν δὲ σωλαγματικῶν, τὰ μὲν ἐστὶ διαλογικὰ, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα. nõ dubium ergo est, quin Simplicius quomodo diuidit, Syntagmatico genere librorum, dialogicos item comprehendi, opinetur. atqui dialogici eodem isto auctore sunt Exoterici: ut in extremo prooemio commentarii ad librum primum physicae auditionis ostendit, dum haec inquit: διχῇ δὲ διηρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων, ὅς τε τὰ ἐξωτερικὰ οἷα τὰ ἱστορικὰ, καὶ τὰ διαλογικὰ. Ex quibus aperte patet, libros Dialogicos ab eo Exotericis attribui. quare cum Syntagmaticum genus comprehendat Dialogicos; hi uero sint Exoterici; sine dubio ex opinione Simplicij Syntagmaticum genus etiam Exotericos complecti debuit. hoc si uere, ut est, dicitur; quid opus fuit Exotericos a Syntagmaticis sine caussa seiungere? cur uero eruditus in primis philosophus modo ait, modo negat idem, & a seipso dissentiens pugnantia loquitur? hoc igitur primo animaduerti oportuit. Sequitur aliud, quod agam proxime. Narrat enim hic idem Encyclios (ex Aristotele uocat philosophemata) illos ipso esse, qui ab eodem Exoterici nominantur: quod uere ne an falso dictum sit, a uocabuli significatione exorsi consideremus. Ἐγκύκλιον igitur, quod hucusque obseruarunt pauci, rotundum, globosum, orbicularum, praecipue significat. Docet Aristoteles, qui de Caelo, in eius libro secundo,

do, ita scribit: ἐγκύκλιον σῶμα ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. rotũdum corpus quod natura mouetur in orbem semper. & de eodem paullo post: πλείω δὲ ἐγκύκλια ὄντα σώματα, orbes caelestes multos esse ait, quos rotunda uocat corpora. ibidem etiam interiectis aliquot paginis, dum stellas probat caeli orbibus illigatas, cum iis una commoueri, ad uerbum inquit: ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις, τὸ μεῖζον σῶμα θᾶττον φέρεται τὴν οἰκείαν φοράν, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις. ita putat in corporibus rotundis fieri, sicut in aliis item corporibus, in quibus maius corpus mouetur motu suo celerius. ad extremum autem disputationis, quae est de caeli stellis, ita scribens concludit: περὶ μὲν οὖν τῶν ἐγκύκλιον φερομένων κίνησιν ἄστρων εἴρηται: de stellis actum sibi fuisse narrat, quae motu rotundo circumferuntur. quo libro etiam infra quaerit terra ne tota maneat an moueatur, sic habet: πάντα δὲ φερόμενα τὴν φορὰν τὴν ἐγκύκλιον ὑπολειπόμενα φαίνεται: omnia quaecumq. motu rotundo mouentur relinqui uidentur. Nec discedit ab isto loquendi genere ne in Meteoris quidem; uelut in primo libro, cum ait: ὑπὸ τὴν ἐγκύκλιον φορὰν ἔστι τὸ θερμὸν καὶ ξηρόν. ὃ λέγομεν πῦρ. & non ita multo post, ὅσον ὑπὸ τὴν ἐγκύκλιον ἔστι φορὰν. quibus locis caeli corpus rotundum ostendi, una cum aliis, etiam Alexander putat, qui ἐγκύκλιον φορὰν, τουτέστι κυκλοφορικόν τε καὶ θεῖον σῶμα, interpretatur. Atque haec fere sunt Aristotelis: cuius auctoritatem secuti Dionysius & Plutarchus uerbum hoc eodem sensu scribendo usurparunt. alter enim in secundo Antiquitatum Romanarum, cum explicat quid sit causſae, quamobrem auspicia siniſtra sint meliora, orbis conuersionem a mundi partibus exorientibus initio sumpto, orbiculatam effici, tradit his uerbis, ἥτε τοῦ κόσμου περιφορὰ ἐκεῖθεν ἀρξαμένη τὴν ἐγκύκλιον ἀποδίδωσι. & in tertio Antiquitatum Aquilae historiam narrans, quae Lucumoni in Carpento sedenti pileum abstulit, cum illius aerium gyrum describeret: καταπὰς ἀετὸς ἄφνω, inquit, καὶ τὸν πῖλον αὐτοῦ τὸν ὄπὶ τῆς κεφαλῆς κείμενον ἁρπάσας, ἄνω πάλιν ἀνέσπη καὶ τὴν ἐγκύκλιον αὐτῶν φερόμενος. alter uero de aede Vestae ab Rege Numa aedificata, in eius uita scribit hoc pacto: νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς ὅστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβίστῳ πυρὶ φρουράν. quem locum nemo nobis alius quam latinae linguae certus auctor & grauis Sextus Pompeius commodius exponit. quare adscribam

ex eo pauca haec: Rotundam aedem Veſtae, inquit, Numa Pompilius Rex Romanorum conſecraſſe uidetur. ex quibus ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον, quod ait graece Plutarchus, a Sexto Pompeio uerbis totidem reddi, aedem Veſtae rotũdam, perſpicue admodum liquet. Sit ergo haec uerbi huius notio maxime propria, aliarumq. omnium, ut ita dicam, princeps. Inde enim per ſimilitudinem ad multa porro transfertur. inuenias enim ab Ariſtotele pecuniam, niuem, pluuiam, grandinem dici ἐγκύκλια: ideo quod ſingulis annis redeant, ac ſint anniuerſaria. officia quoque ſeruorum quotidiana, quae ſunt in uſu communi omnium, uſitata uulgo & frequentata, ἐγκύκλια iterum & tertio idem appellauit. quocirca minus mirum eſt, quomodo ueteres locuti ſunt, codicem circumferre, & epiſtolam circumgeſtare, & aliqua in re uerſari pecuniam, ſi nos item ut illi, de rumore aut ſcripto aliaue qua re nota & peruagata, iſtis ipſis uerbis inter loquendum utimur. ex quo planum fit, ἐγκύκλιον παιδείαν, non aliam eſſe, niſi eam, quae in octauo De Repub. ἡ ἐμποδὼν παιδεία, & καθαρεβλημμένον παίδευμα, ab Ariſtotele, a Dionyſio autem in quarto Antiquitatum Romanarũ παιδεία ἐπιχώριος ingenuis ac liberis trita & frequens, dicta eſt. conſimili ratione apud Euagrium in tertio hiſtoriae libro, quae eſt de rebus in Eccleſia geſtis, Baſiliſci quoddam edictum συλλαβαὶ ἐγκύκλιοι, & γράμμα ἐγκύκλιον, uſurpatur: ob eam rem credo, quod ſacerdotibus circum ciuitates uſquequaq. mitteretur. e contrario alterum edictum, quod priore abrogato Baſiliſcus edidit, ἀντεγκύκλιον ibidem appellatur. Ex quibus omnibus aperte intelligitur, Encyclii uocabulum multa ſignificare. primo Caeli orbes rotundos. deinde, quae ſupra nos in aëris ora gignuntur: ut grando, nix, pruina: quarum ortus eſt ſollemnis atque anniuerſarius. poſtremo quaecumq. in uſu communi uerſantur; res nimirum notae, uulgares, & peruagatae in quotidiano ſermone, quas circumferri, ac circumire, magis ex uſu loquendi, quam ex ueritate, dicere uulgo conſueuimus. Verum, his patefactis, ad Simplicium, quo cum in praeſentia rem habemus, reuertamur. is igitur, ut dixi prius, Encyclia Philoſophemata, cum ſermonibus Exotericis eadem eſſe cenſuit: in quo manifeſte hominem falli exiſtimamus. Exoterica enim & Philoſophemata pugnant inter ſe, nec

apte

apte coniungi queunt: ſi modo Philoſophema uere octauo libro in Topicis ab Ariſtotele definitur. etenim in eo ſic eſt: ἔστι δὲ φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς. quod ita uertas, Eſt autẽ Philoſophema ſyllogiſmus demonſtratiuus. atqui Exoterica nequaquã ſunt iſtiuſmodi eodem teſte Simplicio, cuius in quartũ Phyſicae auditionis haec ſunt uerba: ἐξωτερικὰ δὲ ὅτι τὰ κοινὰ, καὶ δι' ἐνδόξων περαινόμενα, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικὰ, μηδὲ ἀκροαματικὰ: ideſt, Exoterica uero ſunt communia, & quae per probabilia concluduntur; non tamen demonſtratiua, neque Acroamatica. ex quo cum Philoſophema Encyclion, ſit ſyllogiſmus demonſtratiuus, Exotericus contra ſermo non ſit demonſtratiuus, Exotericos ſermones eſſe Philoſophemata Encyclia neceſſario negandum eſt. itaque in loci unius expoſitione bis peccat Simplicius: ſemel, cum Exotericos libros a Syntagmaticis diſiungit; iterum, cum Philoſophemata Encyclia, Exotericos eſſe ſermones manifeſto errore opinatur. quid autem uerbi ſit illud Ariſtotelis, ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα, quod in primo de Caelo legitur, haud obſcure, partim ex iis quae ſupra poſui, partim ex iis quae mox dicam, poteſt perſpici. Etenim Philoſophema cum ſit ſyllogiſmus demonſtratiuus, hic autem numquam non ſit de re ſubiecta; cum dicit περὶ τὰ θεῖα, hoc eſt, de Diuinis, quae nam ei ſubſit materies aperte oſtendit. rerum autem diuinarum nomine ſignificari orbes Caeli rotundos, unde omnia, quae in terris uiuunt, animas & uitam hauriunt, ſatis conſtat ex iis, quae ſupra declaraui. Nec debet ea re quiſquam commoueri, quod Encyclii nomen hoc loco, potius ad Philoſophema, quam ad res diuinas addi uideatur. ita enim alibi etiam Problema Encyclion, ab rebus Encycliis de quibus quaereretur appellari ab eo inuenimus. iſta enim inſcriptione librum edidiſſe Ariſtotelem, Gellius, ut ait Maro, non futilis auctor, noctium Atticarum libro Viceſimo commemorat. Dicit enim de Tauro philoſopho cupiente diuitem quendam adoleſcentem a ſocietate & conuictu ſcenicorum auertere: Miſit ei uerba ex Ariſtotelis libro exſcripta, qui προβλήματα ἐγκύκλια inſcriptus eſt: iuſſitque ut ea quotidie lectitaret, διατὶ οἱ διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πονηροὶ εἰσὶν. uerborum enim hoc eſt initium, quae Gellius ex libro Ariſtotelis recitauit. quae ſit

eorum

eorum ſententia, etiam quiuis unus e populo intelligit. quaerunt enim, quid ſit cauſſae cur hiſtriones & ſcenici, magnam partem mali ſint. at hiſtriones ac ſcaenici res erat uulgaris & peruagata ueteribus: qui eas ἐγκυκλίους, ut ante docui, nominabant. non iniuria igitur poſitam quaeſtionem, ab re, cuius in ea cauſſam quaerit, ἐγκύκλιον πρόβλημα uocat Ariſtoteles. Qui locus autem in primo de moribus ad Nicomachum ſcriptus eſt, in quo fit de libris mentio, quos Encyclia inſcripſerat, is eiuſmodi uidetur, ut ſubaudiri aliquid oporteat. Encyclii uox enim ὁπιδέτος eſt, ex earum genere ſcilicet, quod ad nomen adiungitur. itaq. non plenam inſcriptionem complebis, ſi aut ex Ariſtotele Philoſophema, aut ex Gellio Problema, (malo enim ex his, quam λόγους, uel βιβλία ex ingenio aliorum) ſubiicias: ut totum ſit, uel Philoſophemata Encyclia, uel, Problemata Encyclia. quod horum primum eſt, non ſane quadrat; propterea quod eum Caeli orbibus rotundis, de quibus in eo agi dictum eſt, locus hic nihil habet cõmune. ſecundum autem apte cadit: quoniam in Encyclio problemate, quod Gellius refert, cauſſa quaeritur uitiorum: uitiorum uero exquirere cauſſas, ciuilis philoſophi, qui quia hominum mores bonos malosque conſiderat moralis dicitur, perſpicue intereſt. Atque hac quidem in clauſula a ſcribendi labore continuato hactenus acquieſcendum. Omnia enim, quaecumque a principio inſtituimus, perducta ſunt ad exitum & abſoluta. nam & aliena ac falſa conuicimus. tum ueterum locos uertimus atque expoſuimus. poſtremo ſententiam Ariſtotelis explicuimus, & ſimul de ſermonibus Exotericis quae opinarentur alij, ad eam omnia retulimus. quapropter conſilii eius, quod initio ceperamus, extrema haec eſſe definiendum eſt. Vtrique autem librorum generi, nempe Acroamatico & Exoterico, quid tantis temporum interuallis contigerit, nunc operaepretium eſt recognoſcere. mortuo Theophraſto, qui poſt eum in Lycio Peripatetica docuerunt, Exotericis libris ſolummodo ceteris priuati quos exſtare neſciebant, diſciplinae dignitatem diu ſuſtentarunt. Vbi uero Theophraſti & Ariſtotelis bibliotheca, ſtudio Apelliconis inuenta, & Syllae Felicis iuſſu Romam tranſuecta eſt, ibi utriuſque philoſophi genera duo librorum, praecipue Acroamaticum, Tyrannionis & Andronici

opera,

opera, ſapientiae ſtudioſis nota eſſe coeperunt. Deinceps eadem per manus tradita poſteris, ab hominibus ingenio & doctrina praeſtantiſſimis, emendata ſaepe, ſaepe interpretata, ad Iuſtiniani Caeſaris peruenere ſaeculum. Ex quo tempore ad noſtram aetatem Acroamaticos magna ex parte ſeruauit Deus. Exoterici contra generis, ſi minus omnes, certe plurimos, optimis artibus fortuna iniquior inuidit. ea longo in ſpatio librorum corpora peremit: & quo peius pereant, ad eam rem compa rata doctorum manu, ex omni memoria nomen eorum delere nunc molitur. ita commutatis libris, conuerſa item eſt ex eis philoſophandi ratio. Veteres illi poſt Theophraſtum, ſolos Exotericos nouerunt: Acroamaticos in latebra penitus abſconditos ignorarunt. nobis contra eſt, atque illis fuit. nam ex Acroamaticis, quos habemus, philoſophamur: Exotericis, quos amiſimus, nullis utimur. atque hos noſtri homines, qui nunc ſunt, male acceperunt eouſque, ut reclamantibus hiſtoriis inuenti ſint, qui infirmis rationibus & ad ſpeciem ueris, praeciſe ac palam negarint, genus eiuſmodi ullum umquam exſtitiſſe. Quae res ſatis declarat, doctis atque indoctis pariter idem uſu uenire: ideo quod uerum ſcire omnes ſane concupiſcunt: laborē qui uerum quaerentibus aſſidue ferendus eſt ferre nolunt, ac ſi qui ſunt qui uelint, tolerare tamen poſſunt pauciſſimi diuturnum. ergo hanc ob cauſſam ex eruditorum numero ſicubi quis offendit, fere ſolet fieri ut eiuſdem ordinis ibidem offendant deinceps ex aliis alii. ex litteris Alexandri ad Ariſtotelem, & huius ad illum uiciſſim, de ſapientia libros, qui τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ inſcribuntur, ediditſe Ariſtotelem in Alexandro Plutarchus commemorat. A Plutarcho eadem iſta Simplicius ſumit ac deſcribit. at Ambroſius Leo, non libros de ſapientia, ſed de rerum natura, qui φυσικῆς ἀκροάσεως dicuntur, iiſdem litteris non dubitanter putat oſtendi. Sentiunt idem Geneſius Sepulueda: & Franciſcus Vicomercatus noſter. inde alij plures falſam opinionem hauriunt: quam ut maiore menſura in nos transfundant, homines minime omnium maligni, benigne de ſuo addunt aliquid, cum libros φυσικῆς ἀκροάσεως diſerte a Plutarcho nominari, affingunt. nec uero hi ſolum, quos proxime attigi, labuntur, uerum etiam qui multo ſunt uetuſtiores; in eis Beſſario, & antea Philoponus. Socratem

tem enim auditum ab Aristotele per triennium una mente consentientes prodiderunt. quod quidem a uero tam longe abest, ut Socrates mortem obierit annis quindecim ante, quam Aristoteles nasceretur. certe enim hic editur in lucem Olympiadis nonae ac nonagesimae anno primo. Socrates autem ueneno epoto in custodia publica anno primo quinctae & nonagesimae Olympiadis emoritur. quae si uere notata sunt in antiquorum annalibus, cum ab nonagesimae quinctae Olympiadis anno primo, quo tempore Socrates uitam reliquit, ad annum usque primum nonagesimae nonae Olympiadis, quo natus est Aristoteles, anni tres totidemq. Olympiades exierint, tribus uero Olympiadis, qui sunt anni duodecim, anni tres adnumerati, summam annorum quindecim conficiant, sine dubio oportet, ut annis minimum quindecim post Socratem ueneno necatum in carcere, natus fuerit Aristoteles. quare ab eo audiri Socrates nullo modo potuit. Haec atq. alia istiusmodi, quae prætereo multa, planum faciunt, temere & inconsiderate assentiendum his de rebus nemini, ne doctis quidem, licet nobilibus & magni nominis. ad haec, non per segnitiem ac socordiam, sed per laborem atque industriam, hoc amplius, per sedulitatem quantam res ipsa fert, uerum parari. quibus ego animi artibus magis, quam ingenii indole confisus, tibi ad haec hortanti ut obsequerer, Bartholomaee Capra, cui & debeo & cupio omnia, de sermonibus Exotericis quod uides opus conscripsi. in quo praeter alios paene innumerabiles, quid ipse praestiterim, non meum est praedicare. nostra cum alienis qui contulerit, liquidius & certius ut se res habeat non magno negotio perspiciet. atque hoc loco quidem non mihi queo temperare, quin ut mos est meus dicam libere, quemcumq. fructum hinc studiosi ceperint, esse cur illum praecipue tibi acceptum referant. tuus enim erga me amor, qui uerissimus est & ueterrimus, tua in me merita, quae sunt maxima & plurima, ut libri huius scriptionem primo, dein etiam editionem tibi gratificari pulchrum ducerem, effecerunt.

FINIS.

11

09542

4, de

Aldine
575
F 375e